1

PETRI WESSELING
PROBABILIUM
LIBER SINGULARIS,
IN QUO
PRAETER ALIA INSUNT
VINDICIAE VERBORUM
JOANNIS
ET DEUS ERAT VERBUM.





FRANEQUERAE,

Ex Officina WIBII BLECK Bibliopolae,
MDCCXXXI.

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO

VIRO

MARTINO A SCHELTINGA

ILLUSTRIS FRISIORUM ACADEMIAE CURATORI, PRAEFECTURA SCHOTERLANDIAE, OMNIBUSQUE AMPLISSIMIS IN REPUBLICA HONORIBUS EGREGIE PERFUNCTO ETC. ETC.

S. D.

PETRUS WESSELING

*Enit ad te*, VIR NOBILISSIME, *libellus hic, & eo quidem consilio venit, ut publice, quanta te veneratione colam, & quam sancta apud animum meum beneficiorum, quae in me meosque collocasti, sit memoria, te-*

ſtificetur. Singularis benivolentia, qua me complecti ſoles, ut eum ſplendido tuo nomini inſcriberem, animum mihi addidit: comitas vero perſuaſit, ut qualecunque hoc officium tibi non ingratum fore opinarer. Laetabor, & uberrimum laboris fructum cepiſſe me arbitrabor, ſi opinio non fallat. Tu quaeſo in amicis cultoribusque tuis me habere, & de meis bene mereri perge. Mihi cum vita & gratus in te animus & gratae mentis conſcientia durabit. Vale, VIR AMPLISSIME, *& rempublicam noſtram quam diutiſſime orna. Dat. Franequerae. Nonis Februarii.* CIↃ IↃCCXXXI.

PRAE-

PRAEFATIO

AD LECTOREM.

NOn eſt conſilium longa te praefatione detinere, CANDIDE LECTOR. Abſtinuiſſem tralaticio hoc more, niſi tarditas & negligentia operarum, quibus deſcribendus hic datus eſt libellus, vitia quaedam in eum importaſſet. Ea tu corriges. Quae reſcripſi Artemonio Claudioque Conſtantienſi, nam & is medio ſeculo

XVII. in Suevia Joannem scripsisse asseverabat, *Et Dei erat Verbum*, uti e dissertatione de Joanne Campano J. Georgii Schelhornii video, ceteraque omnia tui facio judicii. Id e te rogo, si quid in his praeter opinionem meam reperias, quod ab aliis occupatum ante arbitraberis, ut cum pulvisculo id hinc auferas, atque illis tribuas. Non exercemus agrum sterilem, neque animus est aliorum bene dicta intercipere. Vale.

P E-



PETRI WESSELING PROBABILIUM.

CAPUT. I.

Disputatur de S. Joannis in Evangelio verbis, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, ostenditurque non esse probabile, scripta olim fuisse καὶ Θεοῦ ἦν ὁ λόγος. Origenes, Hippolytus, Basilius Magnus, Eusebius, Photinus, Julianus Imperator novam hanc scripturam ignorarunt, receptam unice firmantes.

EGregiam illi laudem merentur, qui sedulo & prudenter id agunt, ut Sacrae Scripturae libros quam emendatissimos legamus. Secus est, si temere & cupide fiat. Atque haud scio an horum numerum auxisse dicendus sit Vir Doctus, qui sumpto Artemonii nomine ante hos quatuor annos *Initium Evangelii S Joannis ex Antiquitate Ecclesiastica restitutum* vulgavit.

gavit. Magno ille ambitu pertendit Joannem primitus ſcripſiſſe καὶ Θεοῦ ἦν ὁ λόγος, *& Dei erat verbum*, quod vero vulgo legitur, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, *& Deus erat verbum*, id auctoribus Valentinianis natum arripuiſſe eos, qui ſeſe Orthodoxos appellarint: manſiſſe tamen inter Latinos ſatis diu veteris veſtigia veri. Mihi hanc commentationem evolventi multa ſe objecerunt, quae emendationi pugnant. Animadvertebam quidquid eſt codicum veterumque verſionum amiciſſime conſentire cum editis: conſentire quoque Chriſtianorum, cujuscunque ordinis, ſcripta, quae aetatem tulerunt. Id fieri potuiſſe, ſi olim aliter obtinuiſſet, vix veriſimile putabam: in primis cum adeo celebrata haec Joannis fuerint verba, ut Chriſtiani pariter atque illi, qui cum ipſis diſſidebant, ea tanquam emblemata ſuis ſcriptis inſererent: ſi dubites, audi Baſilium Magnum Homilia in comma, de quo agimus. Ταῦτα οἶδα πολλοὺς καὶ τῶν ἔξω τοῦ λόγου τῆς ἀληθείας μέγα φρονούντων ἐπὶ σοφίᾳ κοσμικῇ καὶ θαυμάσαντας, καὶ τοῖς ἑαυτῶν συντάγμασιν ἐγκαταλέξαι τολμήσαντας. Noveram praeterea veterum fuiſſe plurimos, qui dedita opera hanc pericopen explicuerint, & ſiluiſſe tamen de diverſa ſcriptura. Saepe Patribus illis uſu venire ſolet, ut ad antiquiores libros, variantesque, quas vocant, lectiones provocent: hic cum tacent, clamant non aliter,

liter, ac nunc in Joanne legitur, inveniſſe ſe. Sed quid ego ſiluiſſe eos dico? Superant, qui palam profitentur unice verum eſſe, quod longiſſima temporis praeſcriptione amplexati ſunt Chriſtiani. Sume tibi Origenem. Non abſurde is quaeri poſſe ait Comment. in Joannem p. 50. cur non ſcripſerit Evangeliſtes, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, καὶ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ἦν πρὸς τὸν θεὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. *In principio erat ſermo Dei, & ſermo Dei erat apud Deum & Deus erat ſermo Dei:* inſtitutae quaeſtioni deinde praeter alia ſubjungit, Apoſtolum in Evangelio τὸν λόγον *ſermonem* dixiſſe ἀναγκαίως καὶ ἀπολύτως *neceſſario & abſolute*, in Apocalypſi vero λόγον θεοῦ μετὰ προσθήκης ſermonem cum adjectione vocabuli Dei poſuiſſe. Quae quid aliud ſignificant, quam lectum fuiſſe Origenis tempore in Evangelii Joannis initio, quod univerſa Chriſtianorum natio nunc legit & admiratur? Dici hic poſſe adverto, aut ignoraſſe magnum hunc virum illam alteram ſcripturam, aut peſſimo conſilio diſſimulaſſe. Sed Origenem neſciviſſe quod in antiquiſſimis omnium, cujuſcunque demum generis, Chriſtianorum ſcriptis erat obvium, ſic enim cenſet vir Doctus, nemo dixerit. Diſſimulavit igitur. Hoc vero, uti temere affimatur, ita longe inneptiſſimum fuit. Qui potuit Origenes diſſimulare, quod omnes omnino Chri-

ſtianorum libri ea tempeſtate prae ſe ferebant? Quod Latini inſequenti adhuc ſeculo, ita credi jubet Artemonius, comprobarunt? Quod orthodoxorum, quos vocant, adverſarii, & in primis Theodoti coriarii ſectatores mordicus tenebant? Excordem oportet eum feceris, ſi hoc in animum induxerit. Quid de Hippolyto dicemus, Origenis aequali? Producit ille Joannis teſtimonium in diſputatione contra Noetum p. 14. indidemque Chriſtum eſſe Deum probat. Si *& Dei erat verbum* in Joanne fuerit, demirari ſatis ejus impudentiam non poſſum, qui verbis contra Noetum, aliter omnino cum Praxea, ſicuti decernitur, legentem, uti auſus fuerit. Inſeramus illa huic loco. ταύτην τὴν οἰκονομίαν παραδίδωσιν ἡμῖν καὶ ὁ μακάριος Ἰωάννης ἐν εὐαγγελίῳ μαρτυρῶν, καὶ τοῦτον τὸν λόγον θεὸν ὁμολογεῖ, οὕτως λέγων· Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Εἰ δὲ οὖν ὁ λόγος πρὸς τὸν θεόν, θεὸς ὤν, τί οὖν φήσειεν ἄν τις δύο λέγειν θεούς; *Hanc oeconomiam tradit nobis beatus Joannes in Evangelio, & hoc verbum Deum eſſe confitetur, ſic inquiens: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Si ergo verbum erat apud Deum, & Deus erat, quid ergo? dicetne aliquis duos eum Deos dicere?* Profecto veterator & egregie impudens in diſputando Hippolytus fuerit oportet, riſumque adverſa-

rio debuerit, si Noetus Joannem aliter legerit. Debuisset saltem, si nupera esset haec scriptura, argumentis eam constabilire: quod cum non fecerit, & bonae fidei sit, argumento est, nusquam rum fuisse jactatam illam *& Dei erat verbum* lectionem. Junge nunc utrique Eusebium, virum in re veteri Christianorum versatissimum. Non uno ille loco viri Docti emendationi contra it: Et primo quidem Marcellum Ancyranum oppugnans *L.* II. de Eccles. Theol c. 12. haec habet: Ἀλλὰ καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, οὐχὶ καὶ θεοῦ ἦν ὁ λόγος, ἔφη, ἵνα μὴ τοῦ θεοῦ ἐνέργειαν τινὰ σημαντικὴν λόγος, ἢ ποιητικὴν εἶναι αὐτὸν ὑπολάβοιμεν· *Sed, & Deus erat sermo, non, Dei erat sermo, dixit Joannes, ne nos existimaremus Dei vim aliquam, significativam aut etiam effectricem, eum esse.* Deinde cap. 17. ἢ γὰρ, καὶ θεοῦ ἦν ὁ λόγος, ἐχρῆν εἰπεῖν, ἢ ὁ θεὸς ἦν ὁ λόγος, μετὰ προσθήκης τοῦ ἄρθρου, εἰ τῇ Μαρκέλλου διανοίᾳ σύμφωνον τὴν γραφὴν ἐποίει. *Nam vel dicere debebat, & Dei erat sermo, vel Deus ille erat sermo, addito articulo, si consentientem Marcelli sententiae scripturam fecisset.* Denique *L.* III. c. 2. Διὰ ἐπιλέγει καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, οὐκ εἰπὼν, καὶ θεοῦ ἦν ὁ λόγος. Vides confidentissime damnare Eusebium, quod Artemonius Christianis veteribus probatum fuisse contendit: an & hic dicendus est reticuisse consulto consilio apri-

quiſſimam, quamque probe noverat, ſcripturam, ne Marcellus eam arriperet? Si vir Doctus ex ſuo ingenio menſus eſſet Marcellum, non preſſiſſet hac ſuſpicione Euſebium. Erant in multorum manibus ſcripta Sabellii, Paulli Samoſetani, aliorumque aliud ſentientium: evolvebantur ab omnibus Ignatii, Juſtini Martyris, Hegeſippi, Papiae, Athenagorae, Melitonis, Theophili, pluriumque aliorum libri. Hinc peti potuiſſe, quod obfirmato animo Marcelli adverſarius tegebat, manifeſtum eſt. Neque adeo longe Epheſo diſparata Ancyra erat, quin facile eo excurri & autographum Joannis inſpici poſſet: Inibi enim ad id uſque tempus τὸ ἰδιόχειρον τοῦ Εὐαγγελιστοῦ, ſi qua Petro Alexandrino fides, durabat. Debuit quoque Euſebius animum advertere, Marcellum, quem cum Sabellio paria facere criminatur, in Praxeae & Sabellii rebus ſatis fuiſſe verſatum: utrumque autem, certe Praxeam, in ſuo Evangelio καὶ θεοῦ ἦν ὁ λόγος habuiſſe, non dubitat Artemonius. At hoc ſi verum eſt, mirari ſubit, id Marcellum fugiſſe: nihil enim mutat in Joannis verbis apud Euſebium *L.* II. contra ſe ſcripto. p. 37. Nec tamen adeo id admiror, quam quidem Photinum, Sirmienſis Eccleſiae epiſcopum, illius lectionis fuiſſe ignarum. Chriſtum is hominem tantummodo ſolitarium adfirmabat, eique ex Maria virgine

ne dabat principium. Urgebatur in arctum his Joanneis verbis: ut sese expediret, novam distinctionem commentus avulsit sermonem ab anterioribus hoc modo: *Et Deus erat: verbum hoc in principio* & cetera, testibus Augustino *L.* III. de Doct. Christ. c. 2; & Ambrosio. Hoc erat effugere velle plagas, sed revera sese magis irretire. Nam quid admissa hac distinctione aequus lector aliud hinc derivaverit, quam verbum esse Deum. Potuisset homo meus se plane explicare, si antiquissimam, ut volunt, scripturam, *& Dei erat verbum*, produxisset, & pressisset. Sed ignorasse eam inquiunt. Id vero quis credet? Seculo tertio plerique omnes Latini ex Artemonii opinione ita adhuc lectitabant: Eo modo scriptum exstabat in antiquissimis Patrum novique testamenti codicibus. Hanc lectionem urserant Theodoti coriarii Artemonisque asseclae: nec eos audio, qui rarissimos hujusmodi codices fuisse decernunt: aliud edocti sumus ex Cajo, aut quicunque fuerit, apud Eusebium extremo *L.* v. Hist. Eccl. Neque aliter aut invenerat, aut usurpaverat Paullus Samosetanus, cujus scripta aetate Photini & deinceps superarunt, ut ex Hieronymo Vincentioque Lirinensi novimus. Et nescit Photinus, Paulli sectator, ejuscemodi scripturam, adeo sibi caussaeque suae faventem? Photinus, inquam,

&

& ingenii viribus valens, & doctrinae opibus excellens & eloquio praepotens, ut Vincentii ex Commonitorio verbis utar. Nemo puto hoc ſibi perſuaſerit, qui vel exemplo cognoverit Artemonii, in ſimili re omnia undique corradi, ut quòd ſemel placuit, aliorum etiam animis non diſplicuiſſe appareat. Prudentior hac parte Photino & multis aliis Julianus Imp. fuit: fatetur apud Cyrillum ſemel iterumque Chriſtum à Joanne Deum eſſe cognominatum. Id vero negligendum nobis non eſt, ſtabilire etiam eum vulgatum *& Deus erat verbum*. Bonum illum Joannem ait primum auſum fuiſſe Jeſum Deum appellare, ac docuiſſe θεὸν εἶναι λέγειν, principio *L*. x. in hunc Imp. Cyrilli. Quaeſo te nonne paratragoediaſſet, & in miſeros Galilaeos acerbiſſime fuiſſet invectus, ſi cubi legiſſet, audiviſſetve, nunquam ita ſcripſiſſe Joannem? At imperitum fuiſſe dices Imp. hunc rerum Chriſtianarum. Quid ſi largiar, non omnia, quae religionem noſtram perficiunt, fuiſſe edoctum: Indene profluet, non etiam ejuſcemodi rem potuiſſe noſſe? Fuerat olim Divini verbi lector, τῶν θείων ὑπαναγνώστης λογίων, teſte Gregorio Nazianzeno. Neque prorſus hic oſcitanter egiſſe fragmenta librorum contra Chriſtianos argumento ſunt. Sed, quod notari velim, habebat eum haec ſcriberet ob oculos Porphyrii libros, ut ex

Gre-

Gregorii Orat. II. in Julianum constat, forsan etiam Celsi, in quibus illud, καὶ θεοῦ ἦν ὁ λόγος, fuisse Artemonius asseverat: Erant in ejus amicis quotquot eruditione & odio in Christianos excellebant. Et non vidisse ex libris, neque inaudivisse ex purpuratis scripsisse olim Joannem *&* *Dei erat verbum* credemus? Mihi, ut sedulo dicam, haec omnia ad animum revocanti, Artemonii Joannem corrigentis conatus parum succedere videtur. Consideremus tamen praecipua, quae caussae suae patrocinari posse existimavit vir Doctissimus.

CAP. II.

Ostenditur non corrupisse Valentinianos juniores verba Joannis, nedum primos & Deus erat verbum legisse, Priores aeque ac posteriores Valentiniani ita in Joanne invenerunt. Explicantur eorum circa hunc locum opiniones. Irenaeus emendatur. Liberantur a crimine vitiati versus 18. Cap. 1. Evangelii Joannis Valentiniani. Quaeritur de caussis variantis in eo versiculo scripturae. Joannem, & Deus erat verbum, non vero, & Dei erat verbum, primitus dedisse evincitur.

VAlentinianos posteriores cum prioribus dissedisse in explicatione initii Evangelii Joannis, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum:*

B Illos

Illos horribili & deteſtabili auſu in id comma importaſſe *& Deus erat verbum*, cum *& Dei erat verbum* legeretur antea, in verſum autem decimum octavum, *unigenitus Deus, qui eſt in ſinu patris*, expulſa voce, *filius*: neutrum vero horum agnoviſſe priores, demonſtrare conatus eſt vir Doctus, qui cum res eſt nobis. Exploremus quid veri his inſit? Ut vero haec diſquiſitio prono alveo decurrat, praefandum paucis eſt: Valentinianos per ἀρχὴν *principium* in primo exordio Joannis intellexiſſe Monogenem, ſive unigenitum, Dei ſupremi Bythi, à Deo creatore diverſi, filium: diſtinxiſſe praeterea Monogenem, unigenitum illum à Verbo, λόγῳ: & Verbum dixiſſe filium, non Dei ſupremi Bythi, ſed unigeniti, qui idem atque ἀρχὴ, ſive principium. Hoc enim niſi ſciatur, implicatiora videbuntur, quae producenda erunt. Videamus nunc Valentinianorum, quos poſteriores vocant, explicationem: Ea ex Theodoti Epitomis deprompta ita habet: Τὸ ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, οἱ ἀπὸ Οὐαλεντίνου οὕτως ἐκδέχονται. Ἀρχὴν γὰρ τὸν μονογενῆ λέγουσιν, ὃν καὶ θεὸν προσαγορεύεσθαι, ὡς καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς ἄντικρυς θεὸν αὐτὸν δηλοῖ λέγων, ὁ μονογενὴς θεὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο. Τὸν δὲ λόγον τὸν ἐν ἀρχῇ, τοῦτον τὸν ἐν τῷ μονογενεῖ, ἐν τῷ νῷ καὶ τῇ ἀληθείᾳ μηνύει τὸν χριστὸν, τὸν λόγον καὶ τὴν Ζωήν.

ὅθεν

ὅθεν εἰκότως καὶ αὐτὸν λέγει, ἐν τῷ θεῷ τῷ νῷ ὄντα. Vertit Combefisius: *Illud, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, Valentiniani ita exponunt: Principium vocitant unigenitum, quem & Deum nuncupari admittunt, ut etiam in sequentibus Evangelista manifesto ostendit, dum ait: Unigenitus Deus, qui est in sinu patris, ipse enarravit. Nempe verbum hoc, quod est in principio, quod scilicet in unigenito, in mente ac veritate est, Christum verbum nuntiat & vitam: unde merito ipsum quoque Deum vocat, qui in Deo mente exstat.* Agnoscis haud dubie in fine verborum Theodoti legisse Combefisium ὅθεν εἰκότως καὶ θεὸν αὐτὸν λέγει. Et recte: requirit hanc vocem nexus orationis, licet in Graecis, Clementi Alexandrino adjunctis, & in editione harum Epitomarum Fabricii desit. Comprobat quoque insertum vocabulum Artemonius. Merito nunc quaesiveris, sitne haec posteriorum Valentinianorum doctrina? Nam si qua fides titulo libelli, secus videtur esse statuendum. Inscripsit enim, quisquis auctor fuerit: Ἐκ τῶν Θεοδότου, καὶ τῆς ἀνατολικῆς διδασκαλίας κατὰ τοὺς Οὐαλεντίνου χρόνους ἐπιτομαί. *Ex Theodoti scriptis, & ex orientali doctrina temporibus Valentini epitomae:* Si enim doctrina, ut Valentini aetate erat, his Epitomis est comprehensa, cogitandum non

videtur de posterioribus Valentinianis. Sed hoc seponere libet. Fieri quippe potest, & ita opinatur vir Doctus, ut revera, quae hic tradita sunt, longissime abeant à ceterorum Valentinianorum placitis. In ea ergo inquiramus. Valentiniani, de quibus in his excerptis, per ἀρχὴν sive principium intelligunt Monogenem, unigenitum, quem & Deum appellari affirmant. Id probant ex verbis: *Unigenitus Deus, qui est in sinu patris.* λόγον Verbum faciunt filium unigeniti, Verbum quoque Deum vocari significant à Joanne. Si quid ergo perspicio, comma primum Evangelii hoc explicabant modo: Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, in Monogene, qui idem ac principium, erat Verbum. Καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν, & Verbum erat apud Deum supremum Bythum, si quidem illud in Monogene erat, qui semper proxime Bythum. Καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, & Deus erat Verbum, quoniam ex Deo Monogene, & in Deo Monogene. Explicatio haec, ut quisque animadvertit, inepta & futilis est: respondet tamen excerptis. Id diffiteri non debeo, me, quae de Deo Bytho inserui, ex sectae principiis deprompsisse. Nam expressa ejus in verbis descriptis mentio non exstat. Novi virum Doctum in alia omnia abire, & illa, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν, in hoc systemate de Monogene accipere, quem hoc loco

per

per excellentiam τὸν θεὸν appellari arbitratur. Sed quo jure? Refert huc, quod in Epitomis est: Ἀρχὴν γὰρ τὸν μονογενῆ λέγουσιν, ὃν καὶ θεὸν προσαγορεύεσθαι, ὡς καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς κ. τ. λ. & vertit ita: *principium quidem dicunt esse unigenitum, qui etiam Deus insuper vocatur, prout etiam in sequentibus Deum declarat esse*, & reliqua. Insuper vero vocari Monogenem Deum in Joannis exordio. *Verbis istis*, inquit, ἐν ἀρχῇ ἦν, *Monogenes, juxta Theodotum, appellabatur* ἀρχὴ, *in verbis vero statim sequentibus* ἦν πρὸς τὸν θεόν, *Monogenes* προσηγορεύετο *super appellabatur, ut sic loquar, Deus.* Sic ille: Liceat nobis profiteri, videri illis versibus satis inesse argutiarum. Nam quaeso te, quid aliud est, quam cum προσαγορεύεσθαι *insuper vocari* vertit? Millies Graeci vocem usurpant, de vi illa ne minimum quidem cogitantes: usus est verbo scriptor epistolae ad Hebraeos Cap. V. 10. προσαγορευθεὶς ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἀρχιερεύς. Sed quid aliud voluit, ac Christum esse à Deo sacerdotem appellatum? Fac tamen adsignificare *super*, *insuper vocari*, apparetne in Evangelistae exordio Deum vocatum esse Monogenem? Equidem id verum esse non credo, nec facile quis aliud opinabitur, modo verba, uti oportet, Latina fiant. Adscribam ea denuo. ἀρχὴν γὰρ τὸν μονογενῆ λέγουσιν, ὃν καὶ θεὸν προσαγορεύεσθαι, ὡς

καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς ἀντικρυς θεὸν αὐτὸν δηλοῖ. *Principium quidem dicunt Monogenem, quem etiam Deum appellari ajunt, ſicuti etiam in ſequentibus manifeſto eum Deum eſſe declarat* Joannes. Eccui nunc videbuntur hiſce verbis Valentiniani condoceſacere in primo commate Evangelii Joannei Monogenem Deum appellari? Imo vero docent, Monogenem eſſe id principium, de quo ſacer ſcriptor: ſe Monogenem Deum vocare, neque id injuria facere, quandoquidem verſu 18. *Unigenitus Deus* dicitur in ſinu patris fuiſſe. Vides ergo recte me Valentinianorum ſententiam expoſuiſſe: neque enim fore exiſtimaverim, qui infitias iverit, in verbis ἐν καὶ θεὸν προσαγορεύεσθαι ex ſuperioribus repeti debere λέγουσιν· Reſtat nunc ſedulo conſideremus, qua in re veteres Valentiniani ab illis, quae produximus, diſſenſerint: Si qua opinionum differitas inter eos interceſſerit, quaerenda in Irenaeo erit, in quo & eam ſibi inveniſſe viſus eſt vir Doctus. Exſcribamus itaque & Graeca & Latina. Graeca Irenaei Epiphanius ſervavit Haereſ. XXXI. C. 27. Καλῶς ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, τουτέστι τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ λόγου τὴν διδασκαλίαν ποιεῖται· λέγει δὲ οὕτως. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος· οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν. πρότερον διαστείλας τὰ τρία, θεὸν καὶ ἀρχὴν καὶ λόγον, πάλιν αὐτὰ ἑνοῖ, ἵνα καὶ τὴν προβολὴν

ἑκα-

ἑκατέρων αὐτῶν δείξῃ, τῦτι υἱοῦ καὶ τοῦ λόγου, καὶ τὴν πρὸς ἀλλήλους ἅμα, καὶ τὴν πρὸς τὸν πατέρα ἕνωσιν. ἐν γὰρ τῷ πατρὶ, καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς ἡ ἀρχὴ, καὶ ἐκ τῆς ἀρχῆς ὁ λόγος. Καλῶς οὖν εἶπεν, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, ἦν γὰρ ἐν τῷ υἱῷ, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν. καὶ γὰρ ἡ ἀρχή, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, ἀκολούθως, τὸ γὰρ ἐκ θεοῦ γεννηθὲν θεός ἐστιν. Latina ex veteri versione habes in Irenaeo L. I. c. I. *Bene à principio, hoc est à filio & verbo doctrinam facit. Dicit autem sic: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hic erat in principio apud Deum. Prius distinguens in tria, Deum & principium & verbum, iterum ea univit; ut emissionem ipsorum utrorumque ostendat, id est, filii & verbi, & eam quae est ad invicem simul & ad patrem unionem. In patre enim & ex patre principium, in principio autem & ex principio verbum. Bene igitur dixit, In principio erat verbum. Erat enim in filio. Et verbum erat apud Deum: etenim principium; & Deus erat verbum: consequenter, quod enim ex Deo natum est, Deus est.* Hactenus Irenaeus. Atque hic primo notari velim, vere monuisse viros Doctos, esse in Graecis quaedam depravata, eaque ex Latinis instauranda: adeoque in excerptorum initio pro τυτέςι τοῦ θεοῦ rescribendum esse τοῦ υἱοῦ, ut in versione visitur, *hoc est in filio.* Porro ante verba, καὶ ἐκ τῆς ἀρ-

χῆς

χῆς ὁ λόγος librariorum negligentia excidisse ἐν ἀρχῇ ἦν. sic quippe vetus interpres: *In principio autem & ex principio verbum.* Deinde observari oportet, scriptorem Valentinianum, cujus verba ex Irenaeo dedimus, docere, Joannem in Evangelii primo exordio tria, Deum, principium & verbum distinguere, eaque brevi post unire. Distinctio ex illius doctoris sententia est in primo versu, conjunctio sive unio in secundo. Offerunt ergo sese in Evangelii initio Principium sive Monogenes, Deus supremus, quem Bythum dicunt & Verbum. Et hoc quidem modo: *In principio erat verbum;* Erat enim Verbum in Monogene, qui idem est ac principium, sive in filio. *Et verbum erat apud Deum*, supremum illum, cui Bythi nomen inditur, quandoquidem apud eum Monogenes, in quo Verbum. *Et Deus erat verbum*, ortum enim est ex Deo Monogene, eratque in eodem. Nunc quaeso contende haec cum illis, quae in superioribus ex Theodoti Epitomis annotavimus, & animadvertes nihil discordare hanc Valentinianorum explicationem cum illorum enarratione, adeoque recenseri utrobique eorundem sententiam. Recte ergo, si haec sola consideres, inscriptum esse Theodoti Epitomis, complecti eas doctrinam, uti Valentini tempestate obtinebat. Jam licebat ad alia pergere,

gere, & justissimas hinc derivare consequentias, ni manum injiceret vir Doctus, gradumque sistendum moneret. Perspexisse sibi visus est, Valentinianum Irenaei scriptorem edocuisse; Apostolum in hoc suo exordio Monogenem sive unigenitum appellasse Deum: cum vero verba *& verbum erat apud Deum*, Bythum seu Deum summum respiciant, liquere sole meridiano clarius legisse hominem, *& Dei erat verbum*, id est, & Dei Monogenis erat Verbum. Sed attendere te velim ultima, quae exscripsimus, verba: Καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, ἀκολούθως, τὸ γὰρ ἐκ θεοῦ γεννηθὲν θεός ἐστιν. Animadvertere, inquam, te jubeo, condocere his doctorem Valentinianum, Verbum esse Deum, & consequenter quidem, quoniam ex Deo Monogene sit ortum. Eum enim Deum esse, qui ex Deo sit natus. Utque apertius hoc dilucescat, coagmentemus his ex Theodoti Epitomis: ὅθεν εἰκότως καὶ θεὸν αὐτὸν λέγει ἐν τῷ θεῷ ὄντα. Haec, nisi hujus animi frustra sim, superioribus paria sunt. Ut enim in his Verbum dicitur merito Deus appellari, quod in Deo, mente, sive Monogene sit, ita in illis, quoniam ex Deo Monogene originem habeat, inque eo sit. Quare omnino ad Deum Monogenem & Bythum male referuntur Valentiniani enarratoris verba: quasi Monogenes sit Deus appellandus, quod

ex Deo Bytho ſit ortus. Nihil enim hic de Bytho, ſed Verbo, cui Dei cognomen indi cenſet ob natales ex Deo unigenito. Praeterea ſi *& Dei erat verbum* Valentiniani legerunt, & Deum Monogenem intellexerunt, in abſurdiſſimas ſeſe induerunt difficultates. In una eademque pericope, & vix voce interpoſita, modo Deum accipiunt, Deum Bythum, apud quem erat Verbum, modo Deum Monogenem, in quo erat Verbum. Poterant hi homines, niſi pro corde peponem habuiſſe velis, haud difficulter cognoſcere, ita vim fieri verbis Joannis, & everti ipſorum ſententiam. Quid enim aliud verba indicare potuerunt, atque ejus Dei fuiſſe Verbum, apud quem fuiſſe traditur, adeoque Dei Bythi fuiſſe, non Monogenis. Fac vero legiſſe, *& Deus erat verbum*, evaneſcent omnes illae abſurditates & ineptiae: Dicebant enim haud dubie, Deum Verbum alium eſſe ac Deum Bythum, apud quem in Monogene Verbum fuerat: Non enim eundem eſſe poſſe Deum Bythum & Deum Verbum, ſiquidem Deus Verbum apud Deum Bythum fuiſſe dicatur, & alius ſit, qui fuerit, & alius apud quem fuerit. Quid ergo fiet, inquies, illis Valentiniani ſcriptoris verbis, quibus Joannem profitetur in Evangelii ſui initio Monogenem appellaſſe Deum. Paucis reſpondebo, ubi ver-

ba

ba examinaverimus. Ἀρχήν τινα ὑποτίθεται τὸ πρῶτον γεννηθὲν ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ὃν δὴ καὶ υἱὸν μονογενῆ καὶ θεὸν κέκληκεν. *Principium quoddam subjecit, quod primum factum est à Deo, quod etiam Nun vocat & filium & unigenitum Domini vocat.* Quisque, me non monente, animadvertit magnum discrimen inter Graeca Epiphanii & Latina interpretis. Graeca, si bene se habent, non docent Monogenem sive unigenitum esse Deum appellatum in exordio Joannis. Id duntaxat inde colligas, Evangelistam alicubi Dei nomen indidisse Monogeni. Vidit hoc Artemonius, atque ex ea caussa contendit, non κέκληκεν *vocavit*, sed καλεῖ *vocat*, ut Latina praeferunt, dedisse Jrenaei Valentinianum scriptorem. Concedamus hoc: vel sic tamen nondum apparebit, factum id esse ab Apostolo in primo Evangelii sui initio. Si qua commonstrari posset, Joannem in primo commate Ἀρχὴν *principium* nuncupasse filium & Monogenem, argumentum viri Docti speciem haberet. Quis vero nunc ostenderit, quod nusquam inibi est. Ut vere dicam, Graeca Epiphanii, sicuti Latina versio clamat, sana omnia non sunt. Restituenda videntur ex Latinis, quamquam & illis vitii aliquid implicatum est. Neque erit, credo, qui hanc emendandi rationem calumniabitur, cum & supra fuerit animadversum, Latinam

tinam versionem saepe Graecis praestare. Annotarunt viri egregii in MSS. Latina legi: *Quod etiam nunc vocat & filium & unigenitum Dm vocat.* Non esse ea sine mendis cuivis patere arbitrer. Formari hinc potest: *Quod etiam Nun, & filium, & unigenitum Deum vocat.* Et si ita legeris, nihil à systemate Valentinianorum alienum dixeris: Supra enim Irenaeus commonefecit eos etiam Monogenem Νῦν *Nun* appellare: τὸν ᾗ νῦν τοῦτον καὶ μονογενῆ καλοῦσι. Quia tamen de Joanne hic sermo est, & nusquam is unigenitum *Nun* vocavit, fortasse, quod vir Doctus, qui cum consistimus, est suspicatus, illa *Nun vocat* aliunde importata sunt. Retineamus itaque: *Quod etiam & filium & unigenitum Deum vocat*, reddamusque Graecis Epiphanii, ὃ δὴ καὶ υἱὸν, καὶ μονογενῆ θεὸν καλεῖ. Nihil hic audax aut importunum cognoscis. In Graecis copulam transposuimus, & καλεῖ viro Docto condonavimus. Sola superest querela Artemonio à falsariis textui, quem vocant, temere *unigenitum Deum* esse ingestum. Saepe recurrit hujusmodi querela, & sine ea tot Patrum loci uri & secari non poterant: Nunc eam facimus missam, id unice consideraturi, quam recte hoc loco falsarii accusentur. Valentinianos posteriores verba Joannis corrupisse ait, primosque omnium legisse, ὁ μονογενὴς

θεὸς

θεὸς ὁ ὢν κ. τ. λ. Hoc cupidissime diripuisse Orthodoxos, atque inde venisse in orationem scriptoris Valentiniani, de qua agimus. Sed quam non sine injuria posteriores Valentiniani hic advocentur, ex superioribus notum est. Commonstravimus in ea Epitomarum Theodoti parte, qua Joannis Evangelii initium explicatur, ubi & ὁ μονογενὴς θεὸς ὁ ὢν κ. τ. λ. legitur, nihil aliud tradi, quam quod ceterorum Valentinianorum animo allubescebat. Et quare tandem posteriores Valentiniani depravarunt illum Joannis versum? Dei verbum corrumpere nefarium scelus est: Nec facile ad credendum est, quemquam id facturum, nisi pietatem omnem procul animo ejecerit, & egregium caussae suae commodum inde speret: Ubi vero id commodum? Ut probarent, ajunt, non sine ratione sese illa Joannis *&* *verbum erat apud Deum* accipere de Deo Monogene, non de Bytho, Deo supremo. Atqui à vero id longe abest. Non interpretabantur de Monogene: Intelligebant ibi Deum supremum, Bythum, perinde ac ceteri omnes Valentiniani. Neque ergo caussa erat, quam ob rem verba Joannis depravarent, & *filium* in *Deum* mutarent. Dices, si à Valentinianis non venit ea lectio, unde itaque in orationem Joannis immigravit? Quasi vero omnes N. T. variantes, quae dicuntur, scrip-

 turae

turae haereticis originem debeant. Mihi probabilis fit Doctorum virorum suspicio, coortam esse differentiam ex affinibus literis, facili errore legentibus quibusdam ΘC pro ΥC, quomodo in Epiphanio ex τοῦ πιστοῦ τοῦ υἱοῦ factum esse τοῦ πιστοῦ τοῦ θεοῦ paullo ante monuimus. Atque haec puto caussa est, quare quidam ὁ μονογενὴς υἱὸς θεὸς legant, utramque scripturam conjungentes. *Unigenitum Deum*, & *unigenitum Deum filium*, invenisse in codicibus suis Clementem Alexandrinum & Origenem certissimum est. At cui vero videbitur consentaneum, Origenem, qui Valentinianos passim insectatur, potuisse ab animo impetrare, ut lectionem, quae Valentinianis falsariis erat contribuenda, adoptaret? Origenem, inquam, qui à puero usque adeo haeresium principes aversabatur, ut nihil sibi cum illis commune, ne preces quidem, esse voluerit, ut est apud Eusebium *L.* VI H. E. c. 2. Usurpatam quoque ab Irenaeo illam fuisse scripturam colligere licebit ex *L.* IV. c. 37. Habet enim, *unigenitus Deus, qui est*, & reliqua. At, inquies, hunc locum falsarii manum corruptricem esse passum, alibi quippe Irenaeum, & eodem quidem capite, citare: *Unigenitus filius, qui*, & cetera. Quid si ego reponam, videri ea emendata deinceps ex receptis editionibus. Artemonius quicquam absurdi me ad-

adfirmare non poterit dicere. Saepius enim urget S. Scripturae loca in Patribus ex codicibus recentioribus, & usu tum vulgatis esse mutata. Imo tanto magis credibile est Irenaeum legisse, *unigenitus Deus*, *qui est in sinu patris*, quod nusquam in Valentinianis carpat hanc lectionem, & alibi profiteatur, eos Evangelio Joannis *plenissime* usos fuisse. Sed utcunque hoc fuerit, satis nobis est, Valentinianos ita legisse, neque adeo nos aberrasse, cum in Valentiniani scriptoris verbis rescribendum censuimus, ἢ μονογενῆ θεὸν καλεῖ, *& unigenitum Deum vocat*. Resumamus nunc post hoc examen viri Docti animadversionem: ajebat Valentinianum doctorem asseverasse, Joannem in exordio Evangelii primoque adeo commate Monogenem appellasse Deum, & fuisse propterea in illius Evangelio: *& Dei erat verbum*. At enim nihil horum apparet: Joannem, uti videre licet, docet Ἀρχὴν sive *principium* nuncupasse & filium & unigenitum Deum. Utrumque invenitur in Evangelii primo capite. Neque criminari licebit, omnia haec ad primum Evangelii initium pertinere. Nusquam enim in eo ἀρχὴ aut filius, aut unigenitus appellatur. Immerito ergo Valentinianis obtruditur illud, *& Dei erat verbum*, quod plane ignorarunt: Immeritissimo accusantur, ac si corruperint, primique om-

nium

nium legerint: *Et Deus erat verbum*, cum nunquam aliter in suo Evangelio invenerint. Vide vero, ut absurdissimos hominum fecerit vir Doctus Valentinianos, quo vinceret, alios ex eadem secta Joannis verba vitiasse: *Illa Ptolemaei*, inquit, *Valentiniani ex Irenaeo supra prolata explicatio, & verbum erat apud Deum (Bythum), & Dei (principii seu unigenti) erat verbum, vim Joannis textui inferebat manifestam.* Agnoscimus posterius id, & ob eam quoque caussam nobis simile vero non videtur ita legisse. Pergit dein post pauca: *Cum itaque juniores aut posteriores Valentiniani ipso textu Joannis clarissime se premi viderent, homines nefarii corruperunt textum, & loco, & Dei erat verbum, substituerunt, & Deus erat verbum.* Bona verba quaeso: criminis rei aguntur, cujus sane quam innocentes sunt. Ostendatur vel unus, qui corrupti hujus loci crimen illis impegerit. Et si vitiarunt, quae illis hujus rei ratio constitit? Ea, quam Artemonius produxit, nulla est. Juxta enim cum ceteris sentiebant juniores, verbumque Deum profitebantur. Monogenem in exordio Joannis Deum fuisse nuncupatum non docuere, neque hi, neque illi. Quare nec quaesita illa difficultate premebantur, nedum necessum habuere, ut impuras & corruptrices manus Sacris literis admoverent, & in Joannis Evangelium

lium teterrimo ausu *& Deus erat verbum* importarent.

CAP. III.

De Sicca Veneria Numidiae urbe agitur: Silius Italicus explicatur. De Polybii quodam fragmento adversus Chr. Colerum disputatur: Sallustii recepta scriptura semel iterumque defenditur: Fuit in Africa urbs Thirmida, pariter ut Tisidium. Haeretici Venustiani a Sicca Veneria non videntur dicti: Explicatur Augustinus.

CElebri fama inter Numidiae urbes ea fuit, quam Siccam Veneriam appellant, Carthagine trium dierum itinere dissparata. Evocasse hinc Silium Italicum existimaverim eum militem, de cujus excessu *L.* IX. Punic. 285.

Nec Gabari Siccaeque virum tenuere furentes
Concordi virtute manus; sed perdidit acer,
Dum stat, decisam Gabar inter proelia dextram.
At Sicca auxilium, magno turbante dolore,
Dum temere accelerat, calcato improvidus ense
Succidit.

Solet enim vir Consularis montium, fluviorum atque urbium nomina militibus suis indere, ut viri egregii saepe monuere. Unde veritus non sum Siccae nomini adspirationem demere. Nam quod Siccam appellet, cum urbi nomen esset Sicca Veneria, nihil est: Passim enim Valerio Maximo, Plinio, Antonini, quod vocant, Itinerario, aliisque Sicca tantummodo dicitur. Quaeri potest, utrum & aliis fuerit nobilitata nominibus? Christophorus Colerus in notis Valerio Maximo *L.* II. c. 6. appactis à Strabone *Sigam*, à Polybio vero *Singam* fuisse nominatam affirmat. Mihi falsum prius, posterius incertum videtur. Sigae Strabonis nihil cum Sicca commune est: Fuit municipium Siga in Mauritania Caesariensi, inibique praeter Antonini Itinerarium Strabo ipse locat *L.* XVII. Geograph. p. 829. Singam Polybii solo Stephano teste novimus: Σίγγα, ὡς Πολύβιος δυοκαιδεκάτῳ. Τὸ ἐθνικὸν Σιγγαῖος. An vero in Africa, an alibi terrarum fuerit, quis dixerit in tanta librorum praestantissimi scriptoris strage? Singam in Commagene posuit Ptolemaeus *L.* V. c. 15. Hanc Polybium *L.* XII. describere potuisse, nemo negaverit. Incertum tamen manet, an commemoraverit. Multa res Africanas spectantia eo libro Polybium tractasse, ex fragmentis apparet. Fieri ergo poterit, ut Africae

ur-

urbem tali nomine recensuerit. Utrum vero Siccam Veneriam ab oculos habuerit, non temere dixerim. Africa latissime patet. Non ea regionis ad nos tramissa notitia est, ut locorum omnium situs exploratos habeamus. Neque raro evenit, ut viris, ceteroqui eruditissimis, suspicio oboriatur, corrupta urbium esse vocabula, in quae nusquam inciderant. Narrat Sallustius in Jugurtha c. 12. Hiempsalem Thirmidae fuisse oppressum & vita expulsum. *Sed Hiempsal in oppido Thirmida forte ejus domo utebatur, qui proximus lictor Jugurthae, carus acceptusque semper fuerat.* Variant, uti fieri assolet in voce minus obvia, manu exarati libri: *Thirmida*, *Turmida*, *Tarmida*, *Tarunda* edunt. Suspicatus inde vir Doctissimus est, Tamuda scriptum primitus à Sallustio fuisse, ut oppidum sit ejusdem nominis, cujus in Africa fluvius apud Plinium, Ptolemaeum & Melam. Non possum accedere huic sententiae. Res gesta est in Numidia. Longe hinc aberat fluvius Tamuda, Mauritaniam Bocchique regnum transfluens. Ne dicam, urbis Tamudae nusquam meminisse quemquam. Thirmidam libens Sallustio reliquero, estque ejus in veteri lapide memoria consignata apud Raph. Fabrettum cap. 111. Inscript. 134.

DIS MANIBUS
C. LVCILIANO. C F. CLV.
PASSER. NAT. CIV.
THIRMIDA
MIL. COH. VIII. PRAET.

Nondum à Salluſtio recedimus. *Igitur Jugurtha*, inquit c. 63, *ubi armis viriſque & pecunia ſpoliatus, cum ipſe ad imperandum Tiſidium vocaretur, rurſus coepit flectere animum ſuum.* Ecce tibi obſcuriſſimi nominis oppidum Tiſidium. Non dubium eſt, quin Thiſica & Tyſdrus ſint celebratiores. Et compoſuit Glareanus Thiſicam Ptolemaei cum Tiſidio Salluſtii, unum idemque ratus. Non auſim ego alterutrum amplecti, nedum Salluſtio inculcare, ſcriptis libris refragantibus. Obſervavit Hier. Surita ad Antonini Itinerarium p. 221. antiquum Salluſtii exemplar *Tiſdrum* habere. An heic, an alibi locorum non dixit. Tiſidium, ni aliunde plus auctoritatis Tyſdro acceſſerit, damnare non ſuſtineo. Plurima in ſcripta Peutingeri tabula, & Itinerario Antonini commutanda forent, ſi, quoniam aliis ſunt indicta, ſperni deberent. Nec eo tamen redactae Tiſidii fortunae ſunt. Vivit ejus fama in notitiis Eccleſiaſticis. Collatio Carthaginienſis c. 198. Donatiſtarum numero accenſet *Donatum Epiſcopum Tiſeditenſem*, qui quoniam

tiam Lampadium adversarium habuisse dicitur; non immerito c. 135. *Lampadius Episcopus plebis Tisedritensis* scribi oportere St. Baluzius arbitratur. Tisidio utrumque praefuisse justa suspicio est. Sed ad Siccam redeo. Eam etiam *Venussiae* nomine per Africam fuisse notam vir egregius Th. Reinesius opinabatur inscriptionum suarum Classe VI. 18. atque hinc haereticis Venustianis fuisse nomen factum. De illis Augustinum audiamus de Haeresibus c. 85. *Patermani inferiores partes humani corporis non à Deo, sed à diabolo factas opinantur, & omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes impurissime vivunt. Hos etiam* VENUSTIANOS *quidam vocant.* Non monet Afros fuisse, aut in Africa coortos, aut Siccae Veneriae commoratos. Conveniebant fateor accuratissime civitatis mores horum hominum opinionibus. Sed is consensus non sufficit. Passim alibi Veneris mysteriis nequam viri initiabantur. Et si à Venussia nomen retportavere, *Venussiani* appellari debuere. Est in lapide, quem correctiorem Reinesiano Raph. Fabrettus cap. IX. 363. dedit GERMANVS VENVSSIANVS EX AFRICA. Sed an ab urbe aliqua Africae id nomen traxerit, non patet. Potuit habere à Venusio, aut Venussio, quorum nominum usum fuisse aliunde constat. Certe qui Siccam Ve-

 nussiam

nuſſiam vocarit, nemo veterum eſt. Haereticis aut à Venere, cujus ſacris videntur devotiſſimi fuiſſe, aut à Venuſto, neſcio quo, aut quod venuſti atque ἀφροδίσιοι eſſe vellent, is titulus videtur inuſtus. Nam quis hic certi aliquid praeſtabit?

CAP. IV.

Oſtenditur quamobrem Britannia fertilis Provincia tyrannorum fuerit dicta: Certum non eſt, fueritne Porphyrius, an Hieronymus dicti auctor. Plures ſub Honorio in ea inſula tyranni exorti ſunt: Multi quoque in tempora Porphyrii inciderunt. Bataneotes, quo cognomento Porphyrius ornatur, ſitne in Biothanatos convertendum? Milo Elnonenſis Porphyrium Tyrium, & Porphyrium Optatianum, panegyrici ad Conſtantinum ſcriptorem, confudit. Βατανεώτης *& Chryſoſtomo & Anaſtaſio Sinaitae Porphyrius dicitur.*

PORPHYRIUM Britanniam fertilem tyrannorum Provinciam appellaſſe principio epiſtolae ſuae, de ejus inſulae excidio, Gildas auctor eſt: *Et tacens vetuſtos immanium tyrannorum annos, qui in aliis longe poſitis regionibus vulgati ſunt: Ita ut Porphyrius, rabidus Orientalis adverſus Eccleſiam canis, dementiae ſuae ac vanitatis ſtylo hoc etiam adnecteret: Britannia, inquiens, fertilis Provincia tyrannorum:*

rum: illa tantum proferre conabor in medium, quae temporibus Imperatorum Romanorum & passa est, & aliis intulit civibus. Refert, ut apparet, dicterium Gildas ad tempora, quae Romanorum in eam insulam imperium antecesserunt. Baronio Cardinali visum est ad Annum Christi CCCXXV. Porphyrii dicto Magnum Constantinum, qui in Britannia Imperator est consalutatus, maligne & accusatorie notari, prorsus imprudenter: nam ad id tempus vitam extendisse Porphyrium, tumque in Christianos scriptis suis insultasse, longissime à vero abest, uti Holsteinius dudum docuit. Quid ergo volunt illa apud Gildam verba? Erasmus Britanniam olim in plures reges fuisse distributam, atque ea propter *fertilem tyrannorum Provinciam* appellatam ad Hieronymum observavit. Non multum hinc recedit accuratissimus Holsteinius in Porphyrii vita c. 4. Rem explicat Taciti, gravissimi auctoris, verbis in Julio Agricola c. 12. *Olim regibus parebant, nunc per principes factionibus & studiis trahuntur, nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt.* Addit deinde, neque suo seculo tyrannicas familiarum factiones apud Scotos praesertim & Hibernos exolevisse. Mihi commentum non placet. Si ea, quam produnt, verborum est sententia, nihil

nihil de Britannia praecipuum dixerit. Par aliorum erat conditio: & ne longe quaeramus, audi de Gallis Caesarem *L.* II. B G. c. 1. *Partim qui mobilitate & levitate animi novis imperiis studebant: ab nonnullis etiam, quod in Gallia à potentioribus, atque iis, qui ad conducendos homines facultates habebant, vulgo regna occupabantur.* Quid? in Romano solo nonne passim potentiores clientelis oneri erant? Ne dicam, Britannia in provinciae formam redacta, non videri illud Taciti prorsus verum mansisse. Putem verba ad scriptoris, sive is Porphyrius, sive Hieronymus fuerit, aetatem esse adstringenda. Gildas ex Hieronymi epistola ad Ctesiphontem sua excerpsit: *Ad extremum*, inquit is, *quod solet nobis objicere contubernalis vester Porphyrius, qua ratione clemens & misericors Deus ab Adam usque ad Mosem, & à Mose usque ad adventum Christi, passus sit universas gentes perire ignorantia legis & mandatorum Dei. Neque enim Britannia fertilis Provincia tyrannorum & Scoticae gentes, omnesque usque ad Oceanum per circuitum barbarae nationes, Mosem prophetasque cognoverant.* Non patet; Hieronymum ipsa Porphyrii verba in sermonem Latinum transtulisse, & ad nos transmisisse. Porphyrii objectionem suo more exprimit, contentus genuinam ejus sententiam dedisse. Si Hieronymi sint, quid aliud

significabunt, quam plures in suam aetatem incidisse tyrannos inibi ortos, qui Augustis imperii gloriam dubiam facere sint adnisi. Res ipsa id exigit: Theodosio imperante dedit Britannia Maximum, qui insulae imperio non acquiescens in vicinam continentem invasit. Dedit eadem adversarios Honorio Principi plures, & intra paucos annos, primo Marcum, dein Gratianum, atque eo post quatuor menses improbato & occiso, Constantinum, quosque is dignitatis consortes fecit, Constantem & Julianum filios, omnes ex Zosimo *L.* vi. c. 2. & Olympiodoro notissimos. Provinciam, quae tam brevi temporis intervallo tot tyrannos producit, merito *tyrannorum fertilem* dixeris: Atque hoc modo Isidoro *L.* xiv. Orig. *Sicilia tyrannorum nutrix* vocatur: nam & ea plures, quam ejusdem tractus aliae, tyrannos vidit & experta est ferocissimos. Sed dixerit Porphyrius? Aeque verum erit in tyrannis, quos Britannicae legiones ad imperii fastigium extulerunt. Praetereo nunc Postumum, & quos ille successores habuit. Omnes eos in Britanniam imperium inhibuisse constat. Probi tempore tyrannum quendam insulam intercipere fuisse conatum Zosimus *L.* i. c. 66. docet. Quid Carausius & Allectus sub Diocletiani initia illic architectati fuerint ex Eutropio

E *L.* ix.

L. ix. c. 14. exploratissimum est. Haec cum memoria Porphyrii evenerint, quis dubitet, quin recte satis *fertilem tyrannorum Provinciam* Britanniam cognominare quiverit. Atque ita, nisi fallimur, quid illa, sive Porphyrii, seu Hieronymi, verba indicent ostendimus. Demus nunc, provocante occasione, aliquid operae titulo, quo Porphyrium Hieronymus ornavit praefatione in Epistolam ad Galatas. *Quod nequaquam intelligens Bataneotes & sceleratus ille Porphyrius in primo operis sui adversus nos libro, Petrum à Paullo objecit esse reprehensum.* Nemo in hoc studiorum genere paullum callens ignorabit, multos in caussam inquisivisse, quamobrem Porphyrius Bataneotes Hieronymo fuerit dictus. Non libet omnes dissentientium sententias adferre. Id profiteor, me non perspicere, qui Porphyrius, quem domo Tyrium fuisse ex Eunapio, & Plotini vita cognovimus, Bataneotes potuerit appellari? Bataneae in Palaestina fuisse natum facile affirmatur. Facile quoque Bataneam fuisse Tyriorum coloniam, & Porphyrium à Tyriis civitate fuisse donatum. Sed haec probata confirmataque libentes videremus. Ut sedulo dicam, non abhorrui ab eorum opinione, qui vocabulo vitii aliquid inolevisse arbitrantur. Holsteinius in Vaticanis codicibus sese invenisse *Bethaniotes*,

Bio-

Biothanates testificatus est, nec male inde extudisse βιοθάνατος videbatur. Convenit id in Porphyrium, sive consideres, constituisse eum, animum furore & atra bile percitum ex corpore expellere, ut in Plotini vita narrat, sive vocem accipias de homine nefario, dignoque, cui per carnificinam vita eripiatur. Priore modo usurpavit Philastrius Brixiensis Haeresi LXXXV. *Quidam autem ex his velut biothanati moriuntur, sese dantes ad praecipitium, diversumque subeunt calamitatis interitum.* Posteriorem vocabuli usum inter Christianos stabilivit Cangius verbis Silonis regis Oveti: *Quod tanta mala sufferatis inter biothanatos Saracenos.* Atque ita βιοθάνατος & *sceleratus ille Porphyrius* commode nectenentur. Nec tamen uno hoc movebar. Mirifice suspicionem augebat Milo Elnonensis monachus carmine, Carolo Calvo inscripto, & thesauro Anecdotorum ab Ed. Martene inserto tom. I. p. 45:

Naso Tomitanis peregrinans exul in oris,
Carmine multiplici mulcebat principis aures:
Porphyrium variis quae pinxit metra tabellis
Solvere exilio, biothanaton, ore putentem;
Christicolis vomuit quia plurima probra nefandus
Conqueror auxilium vos huic tribuisse Camoenas.

 Ec-

Ecce tibi *Porphyrium biothanaton*, &c, ut credibile fiebat, ex ipso Hieronymo, quem monachorum societates pariter ut Augustinum sedulo lectitabant. Confudit Milo Porphyrium, de quo nobis sermo est, cum P. Optatiano Porphyrio poeta, cujus Panegyricum ad Constantinum Augustum, vere difficiles nugas, legere possumus. Poetam in Christianos plurima probra evomuisse falsum est. Fuit enim sacris eorum initiatus, ut ex Christi monogrammate orationi intexto, & his versibus manifestissimum est:

Omnipotens genitor, tuque o divisio mixta
Filius atque Pater, & sanctus Spiritus, unum.

Unice id verum est in Porphyrio Tyrio, cujus in Christianos vulgati libri notissimi sunt. Optatianus Porphyrius ex alia caussa in exilium missus fuit, revocatusque à Constantino: Nunquam Porphyrius Philosophus. Aperta itaque confusio est, apertum praeterea *biothanati* vocabulum ad Porphyrium, de quo Hieronymus, pertinere. Atque hoc fortasse rectum satis videbitur: quamquam in suspicione corrupti apud Hieronymum tituli acquiescendum non est. Non enim uni ita appellatur, sed & Chrysostomo Homil. vi. in 1. ad Corinth. Epistolam, & Anastasio Sinaitae Hodegi

gi p. 267. ubi Severianum perstringens, tanquam novum aliquem Porphyrium, μᾶλλον δὲ, inquit, ὡς φησὶν ὁ Βαλανειώτης ὁ νεαρὸς, εἰ ὑπὲρ ἄνθρωπον ἄνθρωπος πιστευθῆναι ἠβούλετο ὁ Ἰησοῦς. Neque enim opinari licet, impegisse librarios, & pro notissima voce obscurissimae sententiae vocabulum posuisse. Si ergo sanus est Porphyrii hic titulus, quid notabit? Quod si verum est, Doctissimum in Germania virum ostendisse, sicuti nunc inaudio, praescriptum id nomen libris in Christianos fuisse, ut sub ejus umbra Porphyrius lateret, confecta compositaque lis videri poterit. Mihi donec illa Poecile potiar ampliandum videtur.

CAP. V.

Euripides in Heraclidis emendatur. Hesychio pluribus locis vera scriptura restituitur ex Euripide. Pindarus solitus est Athenas Λιπαρὰς *appellare. Philostrati locus explicatur & defenditur. Plurimum scire refert ad Lexicographum emendandum quae veterum loca respexerit. Heros quare* Τριπόνυθος?

MUtuas operas tradere Poetas & Grammaticos illustri Euripidis & Hesychii exemplo ostendam. Euripideum est in Heraclidis vs. 74.

 ide-

Ἴδετε τὸν γέροντα
Μᾶλλον ἐπὶ πέδῳ
χύμενον. ὦ τάλας.

Nemo dubitat, quin secundi versus μᾶλλον ineptum & nihili sit. Illustris Scaliger in μέλεον commutavit: non absurde, si orationem recognoscas. At quis praestabit, id ex Euripidis calamo effluxisse? Jos. Barnesio libuit vocem asterisco notare, nihil ultra molito. Ego scripsisse poetam existimaverim:

Ἴδετε τὸν γέροντ᾽ ἀ-
Μαλὸν ἐπὶ πέδῳ
Χύμενον.
Adspicite senem
Debilem, humi
Fusum.

Habeo innovationis hujus auctorem Grammaticum, quem dixi. Ἀμαλὸν, ἀσθενῆ. Εὐριπίδης Ἡρακλείδαις. Nusquam tota tragoedia vocabulum illud inveneris, ut ambigendum non sit, quin hunc versum ob oculos habuerit: Mutemus nunc ordinem, & ex Euripide medicinam Hesychio faciamus: aequum enim est, ut benificio parem gratiam referat.
Ἀγχίπους, ἐνδιαιτώμενος καὶ ὁ παρεστὼς καὶ σύνεγγυς. Εὐριπίδης Ἰφιγενείᾳ τῇ ἐν Ταύροις.] Paullo alitor in ea tragoedia circumfertur ỹs. 1325.

Ὀυ

Οὐ γὰρ ἀγχίπλουν πόρον
φεύγουσιν, ὥστε διαφυγεῖν τὸ μὴ οὐ δορυ.

Quid hic ſequemur? Euripideum non improbavero: haud ſcio tamen an ſuum Heſychius in codicibus antiquioribus invenerit: Certe uſurpavit vocabulum, quo ille explicuit modo, Lycophron Alexandra ẏſ. 318.

Λεύσσουσαν ἄτην ἀγχίπουν στεναγμάτων.

Addam alia: Ἀκανός, κανθάρου εἶδος, ἔστι δὲ καὶ ἡ ῥάχις τῶν σφονδύλων τοῦ ἰχθύος. Εὐριπίδης Τρῳάσιν.] Fruſtra in tragici Troaſin vocem quaeſiveris. Nuſquam, ſi bene memini, inibi obvia eſt: crediderim Euripidis & tragoediae nomen ſubjectum olim fuiſſe vocabulo Ἀκάνθαι. Id in Troaſin à poeta adhibitum eſt ẏſ. 117.

Καὶ διαδοῦναι νῶτον, ἄκανθάν
τ' εἰς ἀμφοτέρους τοίχους μελέων.

Ἀκύμονα, ἀπείραχον.] Vide an fuerit primitus ἄκυμον, expliceturque hoc ex Hercule Furente ẏſ. 698.

Μοχθήσας τὸν ΑΚΥΜΟΝ
Θῆκεν βίοτον βροτοῖς.

quamquam & alterum retineri poteſt.

Ἀν' εἰλείθυιαν, ἀνὰ τόκον. Εὐριπίδης Ἴωνι.] Neque hoc noſtro tempore in Jone lectitatur.

Suſ-

Suſpicabar olim Grammaticum, ubi nunc editam eſt ℣ſ. 452.

Σὲ τὰν ὠδίνων λοχίαν,
Ἐιλείθυιαν, καὶ ἐμὰν
Ἀθάναν ἱκετεύω.

inveniſſe id, quod Lexico inſeruit, ſcriptumque adeo fuiſſe:

Σὲ τὰν ὠδίνων λοχ' ἄν'
Ἐιλείθυιαν. κ. τ. λ.

Atque hoc ſi probetur, ſalva res erit: Sin, mutandum erit Ἴωνι in Ἰνοῖ, quo indice Euripidem tragoediam docuiſſe cognitiſſimum eſt: Mihi, ut ingenue dicam, prius magis blanditur, & verius videtur.

Διέπαλυνεν, διεσύγχυσε, κ. λ.] Recte poſtrema à Sopingio inſtaurata eſſe opiner: in vitio adhuc obhaeret verbum, quod Grammaticus interpretatur. Fuiſſe videtur διεπάλυνεν ex Phoeniſſis ℣ſ. 1166.

ξανθὸν δὲ κρᾶτα ΔΙΕΠΑΛΥΝΕ, καὶ ῥαφὰς
Ἔρρηξεν ὀστέων.

Εκχάυνῶν, μεταίρων.] Imo vero ἐκχαυνῶν, ut in Supplicibus ℣ſ. 419.

Οὐδ' ἔστιν, αὐτὴν ὅστις ΕΚΧΑΥΝΩΝ λόγοις.

Ἔλασκεν, ἤλασεν, ἐκάλεσεν.] Guietus, vir in hoc ſtudiorum genere ſatis acri ingenio, poſtre-

ſtremum vocabulum eſſe commutandum cenſebat, nulla ſane gravi cauſſa, uti infra ex λασκεν perſpicuum eſt & noſtri Electra ꝟſ. 1213.

Βιὰν δ' ΕΛΑΣΚΕ πάνδε

Ελκήσατο, ἠχμαλώτισεν, διήρπασεν. κ. λ.] Ordo & ſeries literarum expoſtulare videtur ἐλκίσατο, aut ἐλήσατο ut eſt in Troaſin ꝟſ. 866.

Δόμων δ' ἁμαρτῶ ξεναπάτης ΕΛΗΙΣΑΤΟ.

Εὐαστρος ὡστεμένας, ἄχαιος ἀλφεσίβοια ἀντὶ τὸ ὕας· ὑαστὰς γὰρ βάκχας ὑάδας ἔλεγον.] Nihil ea ad Euripidem. Ferre tamen non poſſum ut haec, toties fruſtra tentata, in poſterum pro deſperatis habeantur: Medicinam debent Viro Cl. Tib. Hemſterhuiſio, quo quod collega & amico uti mihi liceat non poſtrema felicitatis meae pars eſt: ſcripſerat eo monente Grammaticus: Εὐαστρος ὡστεμανάς, Ἄχαιος Ἀλφεσίβοια, ἀντὶ τὸ ὑάς, τὰς γὰρ βάκχας ὑάδας ἔλεγον. Nullum haec emendatio fidejuſſorem poſtulat.

Κανὼν, κλείνας κ. λ.] Quaeritur hic in notis an pro κλείνας legi oporteat κτίσεις? Negabit Euripides in Hercule Furente ꝟſ. 865.

- - - - Ὁ γ' κανὼν οὐκ ἔστιν.

Neque officient, quae ſubnectuntur a Grammatico. Quis enim ignorat unius vocabuli

plures significationes passim ab eo conjungi?

Κεροδέτα, τόξα.] Si poetam nostrum audias, κερόδετα ex ejus Rheso ℣ſ. 33. recipies.

Ζεύγνυτε ΚΕΡΟΔΕΤΑ τόξα νευραῖς.

Λιπαρὰς, ἀνθηρὰς, ἀφθόνους.] Sana haec & optimi coloris sunt. Solent Athenas hoc titulo condecorare: sic in Troasin ℣ſ. 801.

Λιπαραῖσι κόσμον Ἀθήναις·

Explicemus hinc Philostratum *L.* II. Jcon. c. 12. ἐξ Ὑμηττοῦ τάχα ἥκουσι, καὶ ἀπὸ τῶν λιπαρῶν καὶ ἀοιδίμων. Καὶ γὰρ τοῦτο οἶμαι αὐταῖς ἐνστάξαι Πινδάρῳ. Vertuntur. *Ex Hymetto fortaße veniunt, aliisque locis beatis, cantibusque frequentibus. Haec ipsa enim (bona) eas Pindaro instillare existimo:* Deletum quoque est à viro Doctissimo Ἀθηνῶν, quod Morellus addiderat. Equidem factum nollem: Respicere Philostratum Athenas, quas Pindarum λιπαρὰς appellasse ab apibus edoctum significat, huc enim spectat καὶ γὰρ τοῦτο ἐνστάξαι, dubitari non debet. Passim ita nuncupare eas solet: Sic in Isthm. Ode II.

Ταῖς λιπαραῖς ἐν Ἀθάναις.

& Nemeor. Ode IV.

Κλεᾶ-

Κλεωναίου τ' ἀπ' ἀγῶ-
νος ὅρμον στεφάνων
Πέμψαντα, καὶ λιπαρᾶν
Εὐωνύμων ἀπ' Ἀθηνᾶν.

Imo, si quid tribuendum est observationi Dionysii Phaselitae, unas Athenas Pindarus ita vocare solet: Grammaticus certe ea re motus est, ut receptam scripturam Pythior. Ode 11. mutaret. Audi scholiasten: Αὐτίκα γοῦν Διονύσιος ὁ Φασηλίτης οὐκ οἴεται δεῖν γράφεσθαι, τᾶν λιπαρᾶν ἀπὸ Θηβᾶν, ἀλλὰ τᾶν λιπαρᾶν ἀπ' Ἀθηνᾶν· καταφέρεσθαι γάρ φησί πως τὸν Πίνδαρον εἰς τὸ, τὰς μὲν Ἀθήνας λιπαρὰς ἀγορεύειν: Falsum quidem id Dionysii est, & ab criticis veteribus confutatum: manet tamen in Pindaro urbi Atticae is tituli honor. Quo vero modo Philostrati verba in Latinum sermonem converti debeant ex animadversis quisque videt. Nos ad Hesychium revertimur:

Μεσσέρης ὁ μέσος ὠκεανοῦ καὶ οὐρανοῦ τόπος.] Lege ex poeta nostro in Jone vs. 190. μεσσήρης.

Γαίας ΜΕΣΣΗΡΕΙΣ ἕδρας.

& Iphigen. in Aulide vs. 4.

Σείριος, ἐγγὺς τοῦ ἑπταπόρου
Πλειάδος ἀΐσσων, ἔτι ΜΕΣΣΗΡΗΣ.

Μέρμον, μέρος.] Monet Stephanus subau-

 dien-

diendum videri ἀιδεῖν, aut aliud quid: Non id prorsus esse necessarium ex Andromache ℣ſ 541. cognosces:

Μέγ' ἀναλώσας ψυχῆς ΜΟΡΙΟΝ.

Ὀυ χάζομαι, ὦ σέβομαι, οὐκ ἐντρέπομαι.] Rectissime idem vir doctus primam literam secundae vocis praecedenti annectendam esse docuit: in tragico nostro semel atque iterum idem evenit: nam in Oreste ℣ſ 1116.

Καὶ μὴν τόδ' ἔρξας, δὶς θανεῖν ὦ χάζομαι.

circumferri solet; Invenit etiam in libris suis vetus interpres, explicans: οὐχ ὑποχωρήσω δὶς θανεῖν. Neque illi tamen ita consenserunt, ut alterum alii prae se non tulerint: nuper in Britannia editus scholiastes adjungit, ἢ ἅζομαι, ἀντὶ τοῦ εὐλαβοῦμαι, certissimo argumento vidisse eum perspicue scriptum οὐχ ἅζομαι. Eandem scriptionis discrepantiam notavit enarrator in Alcestide ℣ſ. 326.

Θάρσει. πρὸ τούτου γὰρ θανεῖν οὐχ ἅζομαι.

Sic Jos. Barnesius rescribi jussit, miratus neminem vidisse perverse ὦ χάζομαι fuisse exaratum, qui, si in memoriam revocasset, quae Stephanus super hoc loco in Thesauro annotavit, mirandi caussas haud dubie procul habuisset.

Πα-

Παρεσπλέγχθη, παρεκρέσθη.] Dederat olim Hesychius ex poeta παρεσπλάγχθη in Hippolyto ỳſ. 240.

Ποῖ ΠΑΡΕΠΛΑΓΧΘΗΝ γνώμας ἀγαθᾶς;

Πολυέλικτον, πολύκυκλον ἄδον.] Quid ultimum hoc esse dixeris? Si mihi auscultaveris ἀδονάν in posterum fateberis verum esse. Sumptum est ex Phoenissis ỳſ. 319.

> Καὶ χερσὶ, καὶ λόγοισι, πολυέλικτον ΑΔΟ-
> NAN
> Ἐκεῖσε καὶ τὸ δεῦρο περιχορεύουσα.

Ῥυσῖτι, ῥερυσηκόσι, γεραιοῖς.] In poetae nostri Troasin ỳſ. 495. invenies.

> Ῥυσοῖσι νώτοις βασιλικῶν ἐκ δεμνίων.

sed id leve est. Scire tamen Grammaticum tractantis interest, ex quo fonte is suos hortulos irrigarit; hoc ad obscura intelligenda & depravata restituenda plurimum facit: Sumamus exempli caussa. Σιμαίθα, ἑταίρας μαγιρικῆς ὄνομα. Quisque perspicit tertiam vocem prorsus sanam non esse. Fuit cum opinarer μαγικῆς rectum esse, & Simaetham, quae pars non minima Pharmaceutriae Theocriti est, designasse Hesychium. At falsum id esse, & aliam ejusdem quaestus mulierem respici plane videbis, ubi Aristophanem Acharn. ỳſ. 522. recognoveris: Μεγαρικῆς enim scripsit. Similiter corruptissimum hoc esse, Τεσηλῆ τε,

τύμβῳ, στήλη ἐν τῷ τάφῳ non eſt, ut doceatur. Quid olim fuerit, & nunc quoque eſſe debeat ſtatim patebit, ubi in memoriam revocabitur ex Iliad. Π. 457.

> Τύμβῳ τε στήλῃ τε. τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

Quis porro recte intellexerit Ἀθάμαντα, τὸ θυόμενον νεφέλαις, niſi quorſum intenderit Heſychius advertat? Athamas enim Nepheles maritus fuit. Plana erunt omnia ſi modo attendatur Sophoclis Athamas, & Comici verſus 256. in Nubibus, quaeque inibi à veteribus criticis ſunt obſervata. Sed longius aberramus: tela, quam exorſi ſumus, detexenda eſt.

Τρικόρυθος, ἀνδρεῖος Ἥρως.] Miranda haec eſt explicatio. Quid Corintho cum Heroe? & quomodo *ter-Corinthus* fortem Heroa notabit? Si quid poetae tragico accredas τρικόρυθος Heſychio reddendum eſſe juxta mecum exiſtimabis ex Oreſte vſ. 1480.

> Οἷος, οἷος Ἕκτωρ
> Ὁ Φρύγιος, ἢ ΤΡΙΚΟΡΥΘΟΣ Αἴας.
> *Qualis, quantuſque Hector*
> *Phryx, aut triplici cono inſignis Ajax.*

Solebant veteris aevi Heroes tali ornatu in certamen deſcendere, inde nata Heſychiana ex-

explicatio, inde quoque in Bacchis ℣ſ. 803. Corybantes τρικόρυθες appellantur.

Ὕπαφρον, τὸ μὴ φανερὸν ὕπαφρον λέγουσιν, ἄλλοι κ. λ.] Sic ſcripſerat, & quod in fine eſt ὑπαχαιοὶ hinc ſemoverat, ſuo ſibi loco aſſignato: Profert prius, ut exponat ℣ſ. 710. in Rheſo:

Ἔβα καὶ πάρος
Κατὰ πτόλιν ΥΠΑΦΡΟΝ ὄμμ' ἔχων.

Φιλομηδιάδης. οἱ μὲν, κύριον ὄνομα. πολλάκις γὰρ πατρωνυμικῷ τύπῳ κυρίως δηλοῦνται ὡς Εὐριπίδης Ἡρακλείδαις.] Noli putare in Euripidis Heraclidis vocem, de qua agit, inveniri. Actum ageres, ſi quaerendi ſubires laborem: Ipſe Grammaticus id noluit, ſed nomina Euripides, Heraclides, ejuſdem eſſe formae, cujus Philomediades; fuit ergo Ἡρακλείδης.

Χρυσοπήνη, τὴν διὰ χρυσοῦ εἰργασμένην.] Refingi jubent χρυσεοπηνήτην, non male, & eſt id in tragici noſtri Oreſte ℣ſ. 838. Sed quid ni minore molimine χρυσοπήνην? Multa hujus generis vocem conſtabiliunt, εὐπήνους ὑφὰς memorat Iphig. in Tauris ℣ſ. 814. καλύπηνα φάρεα dabit Electra ℣ſ. 191. ἀβροπήνους πέπλους Lycophron ℣ſ. 863. Sed haec mittamus: nolumus nunc nimii videri, plura Euripidea fortaſſe alias conſectabimur.

CAP.

CAP. VI.

Inquiritur utrum Irenaeus ex Joanneis verbis, & Deus erat verbum, ostendere conatus fuerit Christum esse verum Deum: Fecisse exemplis ostenditur, eaque occasione Irenaeus semel iterumque emendatur. Probatur non habuisse eum, & Dei erat verbum, in Evangelio: Quid intellexerit per τὴν ἔμπρακτον efficabilem Verbi generationem. Agitur de duplici Verbi generatione, de qua subinde Patres.

IRenaeum, praestantissimum Lugdunensium Episcopum, in Joannis Evangelio *& Deus erat verbum* lectitasse, ea, quae de Valentinianis disputavimus, argumento sunt. Non enim lectioni isti refragatur, nedum eam reprehendit, contentus ineptam eorum explicationem refutasse. Longe secus visum est Artemonio, urgetque in primis nusquam his verbis Irenaeum fuisse usum ad stabiliendam Jesu Christi Deitatem. *Si totum*, inquit, *Irenaei opus percurras, nullibi hoc dictum, & Deus erat Verbum, ab eo ad probandam Christi Deitatem allegari reperies. Quod argumentum, si recte perpendatur, sane validissimum est.* Videretur sane quam speciosum, si verum foret. Nunc persuasissimus sum cum veritate pugnare. Et ne sola negatione defungamur, veniamus in rem praesentem. Ostende-

re Irenaeus orditur *L.* III. c. 6. Spiritum S. in scriptis V. T. neminem alium Deum ac Dominum nominasse, nisi qui vere Deus est, Patrem & filium ejus. Illud ipsum ex N. T. comprobat, facto cum Matthaeo Cap. 9. initio: Praeter alia ibi leges: *Unus igitur & idem Deus, qui à prophetis praedicatus est, & ab Evangelio annuntiatus, & hujus filius, qui ex fructu ventris David, id est ex David virgine, & Emmanuel.* Et post pauca: *Aurum vero, quoniam rex, cujus regni finis non est. Thus vero, quoniam Deus, qui & notus in Judaea factus est, & manifestus eis, qui non quaerebant eum.* Confirmata vero ea ipsa re ex Marco & Luca, caput undecimum sic inchoat. *Hanc fidem annuntians Joannes Domini discipulus.* Quam tandem fidem? nisi Patrem & filium esse unum verum Deum & Dominum. Continuat deinde sermonem vir sanctus, monetque Joannem hunc librum opposuisse erroribus, quos hominum animis inseverat Cerinthus, alium fabricatorem jactans, alium Patrem Domini: alium fabricatoris filium, alium Christum, qui in Jesum ex superioribus descenderit. Haec vana jugulare voluisse Domini discipulum, atque hanc veritatis regulam constituere, unum esse Deum, qui per Verbum suum omnia fecerit: Eaque propter sic Evangelii sui doctrinam incepisse. *In*

 prin-

principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, et reliqua. Quid quaeso ex hac Episcopi oratione coges aliud, quam commonstrare eum ex Joanne, unum esse verum Deum, Patrem ac Verbum, per quod omnia sunt creata? Hunc tendit disputatio, huc propositum. Video equidem confidentissime affirmari, Irenaeum docere voluisse, eum per quem sunt omnia facta, fuisse Verbum Dei, & a Joanne gloriosam Verbi generationem enarrari. Neutrum ego hoc in loco reperio. Et alienum prorsus erat ab Irenaei instituto. Ostendendum erat, Joannem perinde ac ceteros veteris novique testamenti scriptores nullum alium verum Deum, nisi Patrem ejusque filium novisse: Atque hoc sedulo nostrum praestitisse, ipse moneat. *Atque haec quidem sunt principia Evangelii, unum Deum fabricatorem hujus universitatis, eum qui per prophetas sit annuntiatus, & qui per Mosem legis dispositionem fecerit, Patrem Domini nostri Jesu Christi annuntiantia, & praeter hunc alterum Deum nescientia.* Nihil ergo hic de gloriosa Verbi generatione. Inquiramus alibi ne Irenaeus, in id, quod Vir Doctus asseverat, intenderit? Usurpavit eadem Joannis *L. v. c.* 18. *Et sic unus Deus Pater ostenditur, qui est super omnia & in omnibus: super omnia quidem Pater, & ipse est caput Christi: per omnia*

au-

autem verbum, *& ipse est caput Ecclesiae: in omnibus autem nobis Spiritus, & ipse est aqua viva, quam praestat Dominus in se recte credentibus, & diligentibus se, & scientibus, quia unus Pater, qui super omnia, & per omnia, & in omnibus nobis. Testimonium perhibet his & Joannes Domini discipulus in Evangelio dicens sic: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum* &c. Ecquidnam haec indicio sunt manifesto, Irenaeum verbis Joannis aut gloriosam Verbi generationem, aut Verbum Dei esse Christum probare? Omnis ejus oratio aliud commonefacit. Et ut vitiligandi caussas praecidamus, connectantur hisce, quae disquisitionem hanc claudunt. *Manifeste ostendens, Joannes, audire volentibus, id est, aures habentibus, quoniam unus Deus Pater, super omnes, & unum verbum Deus, quod per omnes, per quem omnia facta sunt*. Vides nihil omnino hic de Verbi generatione: nihil etiam, ut demonstretur Christus esse Verbum Dei, adferri: Id unice agi, ut Deus Pater super omnes, filius per omnes ostendatur. Imo vero Verbum Deum appellari, plane ut in Joanne. Dicetur haud dubie, nimia me moliri & veterem Irenaei scripturam immutare: prae se enim editiones ferre *& unum verbum Dei*. Libens id fateor: Irenaeum praeterea frequentissime Verbum

Dei appellare Christum. Fateor id quoque: vel sic tamen probabile habeo, Lugdunensem Episcopum, ut citavi, reliquisse. Firmat & fundat hanc scripturam codex Claromontanus, qui ita edit. Addit illi robur Irenaeus, palam saepe professus Christum Dei Verbum esse verum Deum. Si addubites, recurre ad ea, quae in superioribus produxi, illisque hoc unum agglutina ex *L.* III. c. 12. ὅτι ὁ παθὼν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, οὗτος κύριος τῶν πάντων, καὶ βασιλεὺς καὶ Θεὸς καὶ κριτής ἐστιν. *Quoniam qui passus est sub Pontio Pilato, hic Dominus est omnium & rex & Deus & judex.* At inquies, Irenaeum passim Dei Verbum memorare? quid tum porro? Vetitumne aliqua lege huic Episcopo fuit, qui Christum Deum colebat confitebaturque, Verbum Deum nominare, quo titulo à Joanne cohonestatum noverat? Neque adeo insolens, uti jactatur, haec illi locutio est. Sume tibi ex *L.* II. c. 13. *Et in quo distabit Dei verbum, imo magis ipse Deus, cum sit verbum, à verbo hominum, si eandem habuerit ordinationem & emissionem generationis:* & habebis Verbum Deum: nam, si quid ego video, vere Ern. Grabius annotavit ad controversa Joannis verba allusisse Irenaeum. Sunt certe illis, ut Plautino verbo dicam, geminissima. Non ignoro, ad Deum Patrem haec trahi, & per *ipsum Deum* so-

ſolum duntaxat Patrem Deum intelligendum eſſe decerni. Sed quo jure? Si Epiſcopo noſtro obtemperes, in alia omnia abibis. *Quoniam ipſe*, inquit *L.* 11. c. 19. *proprie praeter omnes, qui fuerunt tunc homines, Deus, & Dominus, & rex aeternus, & unigenitus, & verbum incarnatum praedicatur.* & cap. 20. *Propter hoc ergo ſignum ſalutis noſtrae eum, qui ex virgine Emmanuel eſt ipſe Deus, quoniam ipſe Dominus erat, qui ſalvabat eos.* Sic lego, non *ipſe Dominus*. Jubet hoc Emmanuelis vocabulum; & facilis eſt in his vocabulis lapſus, librariis Ds & Ds invicem confundentibus: Jubet praeterea, quod initio ſequentis capitis obvium eſt: Ὁ Θεὸς ὢν ἄνθρωπος ἐγένετο, καὶ αὐτὸς κύριος ἔσωσεν ἡμᾶς. *Deus igitur homo factus eſt, & ipſe Dominus ſalvavit nos*: Reſpectus enim in illis eſt ad ea, quae deſcripſimus. Affirmari quoque video illa, *imo magis ipſe Deus*, Verbum à Deo diſtinguere, & *magis* hoc loco Patrem filio majorem indicare, quod ſane quam miror. Fac in Graecis fuiſſe, μᾶλλον ἢ ὁ Θεὸς, inde Pater Verbo major videbitur? Μᾶλλον δὲ, *imo magis* corrigendi ſunt particulae, ut vel dupondii norunt. Sed quid ego his multum pugno? Irenaeus ipſe *L.* 11. c. 13. ſe de Verbo Dei, non de Patre, agere ſignificat: *Decentiora autem magis quam hi, qui generationem prolativi hominum*

 ver-

verbi transferunt in Dei aeternum verbum & prolationis initium donantes & genesin, quemadmodum & suo verbo. In quo distabit, & reliqua. Imo illa ordinatio emissioque generationis, qui tandem in Deum Patrem, qui genitus nunquam est, quadrabit? Habes ergo, uti monebam, *Deum verbum* & eo in loco. Junge nunc huic alium è *L.* v. 17. *Si enim nemo potest remittere peccata nisi solus Deus; remittebat autem haec Dominus, manifestum erat, quoniam ipse erat verbum Deus, filius hominis factus, à Patre potestatem remissionis peccatorum accipiens, quoniam homo & quoniam Deus.* Est fateor in vulgatis libris *verbum Dei:* sed ni ita scripserit, ac ego dedi, plane non conveniet oratio. Deum solum peccata condonare posse: condonasse ea Dominum, esse propterea Verbum Deum coarguit. Et recte satis. Scribe vero *Dei*, & perspicies posteriora prioribus male coagmentari. Eodem prorsus argumento Christi Jesu Divinitatem adstruit Novatianus c. 12. de Trinitate. *Quod si, cum nullius sit, nisi Dei, peccata dimittere, idem Christus peccata dimittit: merito Deus est Christus.* Ortum est in Irenaeo vitium ex scriptionis compendio, permixtis DI & DS, in Longobardico scribendi more non admodum discrepantibus. Adde denique ex *L.* II. c. 5. *Haec autem adversus omnes, qui quolibet modo vel ab ange-*

angelis, *vel ab alio quodam*, *praeter verbum Deum*, *mundum factum esse dicunt*. Sic codex Arundelianus praefert: Proxime accedunt Fevardentii, Vossii, & Claromontanus liber, in quibus est *verum Deum*. Massueto unice posterius hoc probatur. *Verbum Dei* Ern. Grabius Artemoniusque amplexati sunt. Ego vero non dubito, quin utrumque hoc scripturae codicis Arundeliani sit postponendum. Quid enim? ignoravitne Irenaeus *Verbum Deum*, ut ex ea caussa damnari oporteat? An mundum à Verbo conditum infitiatur? Atqui mundum passim toto hoc opere per Christum Dei Verbum creatum esse docet. Uno testimonio, quod sese nunc in oculos ingerit, defungar. *Et idoneus est*, inquit L. II. c. 2. *& sufficiens ad formationem omnium proprium ejus verbum*, *quemadmodum & Joannes*, *Domini discipulus*, *ait de eo: Omnia per ipsum facta sunt*, *& sine ipso factum est nihil. Et hic ergo à verbo ejus factus est*, *sicut scriptura Geneseos dicit*, *omnia*, *quae sunt secundum nos*, *fecisse Deum per verbum suum*. Deum vero Verbum Episcopum nostrum & agnovisse & coluisse, ea, quae hactenus disputavimus, satis condocefaciunt: Rectum ergo est, *praeter verbum Deum*, quod MSS. ostentant. Sed tempus est, ut, unde digressi sumus, redeamus. Asseveraverat Vir Doctus Irenaeum verbis Joannis,

& Deus erat verbum, eo consilio fuisse usum, quo vinceret Christum esse Dei Verbum, glogloriosamve ejus generationem enarraret. In duobus viri sancti locis id frustra quaeri vidimus. Restat tertius *L.* III. cap. 11. *Aliud enim illam, quae est à Patre principalem & efficabilem & gloriosam generationem ejus enarrat, dicens sic: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Libentes agnoscimus Irenaeum hoc capite Joannis orationem ad Verbi generationem applicuisse; sed & id observamus, retulisse eum ad *efficabilem*, τὴν ἔμπρακτον Verbi generationem. Quaenam vero illa? Explicemus Theophili, Irenaei aequalis, verbis *L.* II. ad Autolycum. c.31. ὁπότε δὲ ἠθέλησεν ὁ Θεὸς ποιῆσαι ὅσα ἐβουλεύσατο, τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν, πρωτότοκον πάσης κτίσεως. *Quando vero condere, quae deliberarat, constituit, hoc verbum genuit prolatum, primogenitum universae creaturae.* Ea intelligitur, qua Dei Verbum rerum omnium creandarum caussa factum est προφορικόν. Praeter enim aeternam, qua λόγος ex mente Patris natus est, generationem, veteres & hanc docuere, qua Verbum à Patre prodiit, seque demisit ad condenda universa. Audi & Hippolytum, Irenaei nostri auditorem, contra Noetum. c. 10. Ὅτε ἠθέλησεν, καθὼς ἠθέ-

λη-

λησεν, ἔδειξε τ̀ Λόγον αὐτȢ̃ καιροῖς ὡρισμένοις παρ' αὐτῷ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐποίησεν. *Quando voluit, & quo modo voluit, ostendit verbum suum temporibus apud se definitis, per quem omnia fecit.* Et post pauca: Τῶν δὲ γενομένων ἀρχηγὸν καὶ σύμβουλον καὶ ἐργάτην ἐγέννα Λόγον, ὃν Λόγον ἔχων ἐν ἑαυτῷ, ἀόρατόν τε ὄντα τῷ κτιζομένῳ κόσμῳ, ὁρατὸν ποιεῖ· *Eorum autem quae facta sunt, ducem, consiliarium & operarium generabat verbum, quod verbum cum in se haberet, essetque mundo creato inaspectabile, fecit aspectabile*, uti vertit Fr. Turrianus. Nec dissentit Tertullianus contra Praxeam c. 7. *Haec est nativitas perfecta sermonis, dum ex Deo procedit: conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiae: Dominus condidit me initium viarum: Dehinc generatus ad effectum: Cum pararet coelum, aderam illi simul.* Atque hanc per consequentiam ex verbis, *omnia per ipsum facta sunt*, collegit Irenaeus; ni enim id voluisset, nihil ea hic ad rem facerent. Denuo consonantem hic sibi Novatianum habet de Trinitate c. 23. *Quod verbum, quoniam ex Deo est, merito & apud Deum est. Quodque quia non otiose prolatum est, merito omnia facit; Omnia enim per ipsum facta sunt*, & reliqua. Ne nunc dicam, justissimam esse suspicandi caussam, omnia illa: *& verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, à descriptore Latino nimis liberaliter esse in-

culcata. Certe Anaſtaſius Sinaita, & Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus ea in Irenaeo inveniſſe non videntur. Sic citant: Καὶ ἔνδοξον γενεὰν διηγεῖται, λέγων· Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος· καὶ πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. Si ea inibi legiſſent, cum poſtrema proferant, cur inter media praeteriiſſent? Probe novi, damnare has tertias decimas, ſic appellat, conſequentias Virum Doctum. Damnet, ut lubet; nec tamen perficiet, ut alia omnia veteres ſcripſerint, quam ſcribere ipſi inſtituerunt. Age vero, ponamus adfuiſſe Irenaei loco controverſa Joannis verba, &, quod magno mercaretur, *& Dei erat verbum*, enarrabiturne manifeſto glorioſa verbi generatio? nec ulla erit opus conſequentia, nulloque fulcro? Non opinabitur, credo, Artemonius. Ingerit enim ſcriptori: *Et Dei, nempe filius, progenies, emiſſio, erat Verbum*, de quibus, ut leviſſime dicam, non cogitavit Irenaeus. Equidem ficto ejuſmodi emblemati longe praepoſuerim Epiſcopi noſtri argumentationem, nec mirari deſinam virum, qui ardentem Chriſti Jeſu ejusque gloriae amorem prae ſe fert, potuiſſe ab animo ſuo impetrare, ut ob ejuſcemodi leves ſuſpiciones & emblemata tot antiquiſſimorum Chriſtianorum, ipſiusque Sacrae Scripturae locis emendatricem manum admoveret. Sed hoc ipſe

vi-

viderit, otii sui rationes redditurus. Mihi nunc commonstrasse satis est, Irenaeum ex Joannis exordio docuisse, verum Deum esse Christum; appellasse praeterea Verbum Deum, adeoque in Joanne, *Et Deus erat Verbum*, plane uti nos, reperisse.

CAP. VII.

Gerere domum non videri damnandum in Ausonio. Statius defenditur. Ramo vocare, vocare dextra aliaque. Tigris apud poetas saepe pellem tigri detractam notat. Lucani versus defenditur. Exhaustus idem ac ad finem perductus. Discrepant veteres de matre Euristhei: Explicatur Maximus philosophus. Valerio Flacco medicina fit. Impensas recentioris aevi scriptores ea appellant, quorum usus est in fabricis, lux inde Jul. Obsequenti.

IN ea semper opinione fui, nunquam temere quicquam ex recepta lectione in Graecis Latinisve scriptoribus esse commutandum, nisi si manifesta ratio, aut codicum praestantiorum consensus atque auctoritas aliud jubeant. Libens propterea veterum locis, quae nullo suo merito in vitii suspicionem venerunt, defensionem, si qua honeste possim, parare soleo. Et quid obstabit, quominus exemplis

agamus? Improbavit in Ausonii Parentalium Carm. XIX.

Non ideo exprobrans, aut fronte obducta, marito,
Quod gereret totam femina sola domum.

locutionem *gerere domum*, pro administrare rem familiarem, immutavitque in *regeret* Jac. Tollius. Dubium non est, quin hoc priore sit frequentatius & magis obvium. Nec ea tamen caussa illud huic erit postponendum. *Gerere domum* dixisse videtur, ut alii *gerere rempublicam*, quod satis rectum esse, nemo diffitebitur. Et quis damnaverit, quod Ausoniano par & geminum est, Senecae in Oedipo v. 364.

Per regna juro, quaeque nunc hospes gero,
Et quae reliqui.

Casp. Barthio, viro erudito pariter ac nobili, in Statii Thebaide. v. 102.

Huc propere stipamur & ordine nullo
Congestae.

displicuit postrema vox, & quia in scripto libro *conjestae* & *conjectae* offenderat, unice amplexatur *conjectae*. Ego vero vitio scripturae ex vulgato id natum opiner, solitis has voces invicem confundere librariis, receptumque u-

su,

su, siquidem Statio probum est visum, non improbem. Sic enim Theb. III. 53.

> *Illum congestae portarum ad limina matres*
> *Ut solum videre.*

& Theb. v. 161.

> *Congestisque avidae simul undique dextris*
> *Perfringunt.*

Nec Seneca ab eo abhorruit in Thyeste. 842.

> *Ibit in unum congesta sinum*
> *Turba Deorum.*

In Valerii Flacci Argonauticon L. III. 432.

> *Delius hic longe cadenti veste sacerdos*
> *Occurrit, ramoque vocat.*

Viri Doctissimi varie illud *vocat* mutare instituerunt. Mihi, quod pace eorum dixerim, sanum atque integrum videtur. *Ramo vocare* eo est loco ramo innuere, &, ut accedere maturent, commonefacere. Neque durum aut rarum est hoc loquendi genus. Propertius L. I. Eleg. 8. 14.

> *Et me defixum vacua patiatur in ora*
> *Crudelem infesta saepe vocare manu.*

Valerius ipse L. v. 438.

Ipsa subit, nudaque vocat dux agmina dextra.

Ubi opportune ex Virgilii Aeneid. VIII. 696.

Regina in mediis patrio vocat agmina sistro.

produxit Cel. P. Burmannus. Graecis similia haud displicuisse Aeschylus in Agamemnone. 1070. indicio erit:

Σὺ δ' ἀντὶ φωνῆς φράζε καρβάνῳ χερί.

Ejusdem Valerii Flacci & hoc est *L.* II. 268.

Voces chorus & trieterica reddunt
Aera sonum, fixaeque tremunt in limine tigres.

Non potuerunt sese Nobilis. Heinsio *fixae tigres* approbare. Mallet *pictae* aut *fictae*. Sed quid si hoc loco tigres sint pelles de tigridibus detractae, quae ventilatae strepitum concitarint? Solent certe Musarum filii voce ita uti. Papinius Statius Theb. VI. 713.

Tunc genitus Talao victori tigrin inanem
Ire jubet, fulvo quae circumfusa nitebat
Margine.

Silius Italicus *L.* V. 248.

Caucasiam instratus virgato corpore tigrim.

Et

Et Valerius noster *L.* VI. 704.

> *Perque levem & multo maculatam murice tigrim*
> *Concita cuspis abit.*

Neque obstabit fremendi vocabulum. Potest & id de minore strepitu usurpari. Seneca Hippolyto. 508.

> *Heic aves querulae fremunt,*
> *Ramique ventis lene percussi tremunt.*

Nuper mendi nomine suspectum fuit cultissimi ingenii viro, quod in Lucano leges *L.* I. 658.

> *Tu qui flagrante minacem*
> *Scorpion incendis cauda, chelasque peruris,*
> *Quid tantum Gradive paras?*

Videbatur ingrata nimis vocis *flagrante* repetitio, versui enim proxime praecedenti *flagrasset* intextum est. Liceat mihi hic dissidere. Repetitus ejusdem verbi in Lucano usus frequentatus est. Et *flagrans scorpii cauda* elegantior videtur, quam quae indocto librario contribui possit. Putem poetae animo fuisse obversatum Arateum hoc ex Phaenom. 402.

> Αὔταρ ὑπ' αἰθομένῳ κέντρῳ τέραος μεγάλοιο
> Σκορπίου ἀγχινότοιο θυτήριον αἰωρεῖται.

Vertit Cicero.

Inde,

Inde nepae cernis propter fulgentis acumen
Aram.

Eandem scorpii, sed jam non coelestis, vim respicit Serenus Sammonicus c. XLVIII.

Et cum vulnus atrox incussit scorpius ardens.

Dubium praeterea est, quid praestet, *exhaustio* an *exacto*, utrumque manuscriptis prae se ferentibus, in Lucani *L.* v. 44.

Fortunaque tantos
Det nobis animos, quantos fugientibus hostem
Caussa dabat: nostrum exhausto jus clauditur anno.

Fatendum est, *exacto anno* satis esse elegans, elapsumque tempus passim adsignificare. Mihi tamen prae hoc blanditur alterum, remotiusque videtur, & supra exscriptoris captum. Exhauriri ea dicuntur, quae ad finem sunt perducta, tralatione notissima: Frequens in ea Statius est. Sic *L.* I. Silvar. I. 18.

exhaustis Martem non amplior armis
Bistonius portat sonipes.

Thebaid. VI. 236.

posito donec cum sole labores
Exhausti.

The-

Thebaid. x. 382.

> *Eunt taciti per moesta silentia magnis*
> *Passibus, exhaustasque dolent pallere tenebras.*

Atque hinc *L.* II. Pharf. 577. obsecutus scriptis libris, si mei res foret arbitrii, legerem.

> *Ante bis exhaustum quam Cynthia conderet orbem.*

Maximi Philosophi, cujus carmen de Electionibus tomo octavo egregiae suae Bibliothecae Alb. Fabricius vulgavit, versus est 91.

> ἠδ' εἰ νέον αἰνετὴν Ἰκαρμάνης,
> ἠὲ καὶ Εὐάδνης Καπανηΐδος ἐντύναιτο,
> ἠὲ καὶ Ἀρσινόης ἐρικυδέος.

Quaesivi quaenam ea fuerit Arsinoe? Recentiorem Aegypti reginam nobilissimis veteris aevi Heroinis inseruisse poetam non temere opinabar. Quid ergo? manu exaratus liber Ἀρσίππης edebat, depravate quidem, sed ad veritatem prope accedens. Verum esse crediderim Ἀρχίππης, quo nomine Junonis pellicem, Euristhei matrem, fuisse Tzetzes Chiliad. II. 36. monuit. Novi eam Apollodoro *L.* II. Biblioth. c. 4. Nicippen appellari. Sed in fabulari historia ejuscemodi discrepantia non insolens est: Ne longe hinc recedamus,

mus, ipsa haec Euristhei mater Homeri antiquo enarratori *Leucippe* dicitur. Conatur Jos. Barnesius ad Iliad T. 118. refingere in Nicippen, nescio an satis consulto. Arsinoes, sed urbis, meminit etiam Valer. Flaccus L. v. 423.

> *Arsinoen illi tepidaeque requirunt*
> *Otia laeta Phari, pinguemque sine imbribus annum.*

Salva ea hic esse non potest sine maxima anticipatione; & quamvis poetae eam non omnino spernant, premitur urbs Arsinoe alia difficultate: Variae per varias Asiae & Aegypti partes hoc nomine insignes fuerunt, manetque adeo obscurum, quam potissimum respexerit. Equidem cum viris praestantissimis fecerim, qui pro Arsinoe aliud substituendum esse suspectabant, atque haud scio an fuerit olim:

> *At Sirbonem illi tepidaeque requirunt*
> *Otia lacta Phari.*

Ut Sirbonis lacum, Aegypti versus Palaestinam terminum, designet. Verum hoc in conjectura deputo. Redeo ad vindicias. Inter prodigia Julius Obsequens. c. 26. & hoc habet. *Tarracinae sereno navis velum fulmine tactum, in aquas dejectum, & impensas omnes, quae ibi erant, ignis absumpsit.* Haerent Doctissimi inter-

interpretes in *impensis* illis. *Res impositas omnes* Schefferus, sed parum sibi ipse satisfaciens, Pighius *& in ea pisces omnes*, relegata *impensarum* voce, scribebat. Ut vere dicam, utrumque nimium est. *Impensas* rei rusticae & architectonicae scriptores adhibere consueverunt pro caementis & materia ex calce & sabulo, cujus usus erat in pavimentis, & farsura parietum. *Impensam testaceam* eo sensu habes apud Palladium *L.* I. RR. 40. & *impensam testaceorum* in Vitruvio *L.* II. c. 8. *liquorem impensarum* Epist. 46. *L.* X. Symmachi. Inde in genere impensae dici coeptae sunt res omnes fabricis aedificiorum accommodatae, ligna, lapides, aliaque. Atque hoc modo vetus inscriptio in Thesauro p. MCLXI.

Constantina Deum venerans Christoque dicata,
Omnibus impensis devota mente paratis,
Numine divino multum Christoque juvante,
Sacravit templum victricis virginis Agnes.

Sume ita Obsequentis *impensas*, & salva res erit.

CAP. VIII.

De utilitate supellectilis nummariae. Norbensium in Hispania nummus explicatur. Fuisse Graviam gentem docetur. Ex municipiis & coloniis non satis tuto gentium Romanarum catalogus augetur. Nero & Drusus, Germanici filii, fuerintne Quaestores Provinciales, an Praefecti Quinquennales? Vibius Marsus quamdiu Proconsulatu Africae fuerit functus? Praefecti Quinquennales Neronis & Drusi in nummis & lapidibus. Hinc Uticensium nummi illustrantur.

INter ingentia commoda, quae ex nummaria supellectile in meliores literas redundant, non sane postremum censendum est, quo coloniae, municipia, omnisque adeo Geographia plurima luce circumfunduntur. Absque ea fuisset, vera multarum urbium vocabula amisissemus, multa praeterea tenebris involuta laterent, quae nunc felicibus auspiciis à viris principibus exposita vulgataque sunt. Quis olim ad Plinii *Carbulonem*, seu *Carbulam* potius, non adhaesit? Erat qui ex Antonini Itinerario, & Eliberitano Concilio *Carulam* vellet, *Carbula* ex omni Hispania exterminata. Asseruit Plinio & Hispaniae suam urbem elegantissimus Thesauri Fridericiani nummus, qui CARBULA parte aversa

sa praefert. Sed quid ego exemplis ago in in tanta harum rerum notitia? Id saepe per incommodum accidit, decurtata esse rerum hominumque vocabula, literas etiam nulla nota distinctas ostentari. Edita hisce mensibus in ditissimi Fridericiani Thesauri c. v. sect. 16. ejusdem nummi exempla duo sunt, mirifice sibi invicem auxiliantia: alterius aversa pars prae se fert...... PLOTIO. PLEB. II. VIR. ceteris, quae inscriptionem inchoabant, temporis injuria exesis; alterius vero C. I. N. NO. CAES. CITER. PLO...... reliquis omnibus itidem deletis. Integrum coagmentatis, quae in utroque restant, literis, C. I. N. NO. CAES. CITER. PLOTIO. PLEB. II. VIR. fuisse recte dixeris. Indicari coloniam Juliam Novam Norbam Caesarianam vere monuit vir egregius, cui hanc gazam debemus. Nihilque hic difficile est, nisi CITER. Prima fronte CITER*ior* Norba designari videtur. Sed si penitius id introspicias, habebit non unam, qua urgebitur, difficultatem. Si CITER*ior* Norba dicta est, oportet alius respectu id cognomen gesserit, quo modo Hispaniam citeriorem appellant, ut ab ulteriore distinguant. Plinius Norbae *L. iv.* H. N. c. 22. ita meminit. *Anae fluvio apposita Metallinensis, Pacensis, Norbensis, Caesariana cognomine.* Apparet inde Norbam

 Ta-

Tagum inter & Anam fuisse. Tago plures admovent: Et quanquam Ptolemaeus in austrum removet, eandem tamen describit: ut adeo una Norba Caesarea in Lusitania fuerit. Quo ergo modo Norba CITER*ior*? Si ex ea caussa, quod esset in citima Tagi ripa constituta, nihil proprium prae ceteris habuit. Omnes ea propter inter Tagum & Anam urbes citeriores erunt. Comparatio aliam desiderat urbem, quam Hispania ignorat. Nota est in Latio Norba, verum ea si hic consideretur, aeque ulterior ac citerior Lusitaniae Norba dicetur. Ne plura adferam: crediderim literas CITER hoc esse modo distrahendas C. I. TER. illisque notari duumvirum *C. Julium Tertium*, quo nomine fuit, cui positus lapis Thesauri Gruteriani est p. MX.

C. IVLIVS. TERTIVS. SEVIR.
CERERI. SACR. ET
POPVLO PRANDIVM MVNERE
FVNCTVS DEDIT.

ut adeo significetur, nummum esse conflatum, *C. Julio Tertio & Plotio Plebejo duumviris*, confirmaturque haec suspicio ex frequenti utriusque duumviri in hisce monumentis memoria. Consideremus hunc municipii Calagurritani nummum, impressamque inscriptionem: L. BAEB. PRISCO. C. GRAV. BROC. II. VIR. Sic legunt

gunt Comes Mediobarbus & Hieron. Surita. Utrique contra ivit Jo. Vaillantius GRANIVM duumvirum memorari pertendens, eoque magis, quod nulla gens Gravia inter Romanas fuerit nota. Sed hoc decretum vix percellet alia omnia sentientes: Opponent haud dubie ex Thesauri p. CLXXXII.

L. GRAVIVS. SEIO
LACVM. IMPENSA
SVA. FACTVM. DEDIT
DONAVIT.

Et quid si Romae nulla fuerit, nullane propterea in municipiis & coloniis? Passim in literatis lapidibus & nummis gentium variarum homines sunt obvii, quibus ego Romanarum gentium catalogum non temere auxerim. In municipiis & coloniis indigenae ad Roman. consuetudinem sese conformabant, suaque nomina Latina ornabant terminatione. Est inter Coloniae nummos hoc Buthrotiorum epigramma. Q. NAEVI. SVRA. A. HIP. TVL. NICER. II. VIR. B. Explicatur à Vaillantio. *Q. Naevio Sura*, *Aulo Hippio*, *Tullo Nicereo*, quasi triumviri coloniae deducendae inscripti forent. Equidem duumviros nummi notis praeeuntibus retinuerim, triumviris valere jussis: At incertum est, fuerit-ne alter Aulus Hippius an Hipparchus, Tul-
lus

lus Nicereus an Tullius Niceros? Sed quo modo cunque fuerit, accensendusne hic homo est genti Romanae, sive eam Hippiam, seu Hipparcham appelles? Vix ego id opiner. Homo origine Graecus Graeca nomina partim retinuit, partim Latinis auxit. Sed nolo nunc ad hanc controversiam descendere. Redeo ad Norbam. Id parere putem, si ita nummum accipiamus, nihil nisi solenne indicari. Ejusdem coloniae nummum esse voluit Harduinus, his literis insignitum. NERO ET DRVSVS CAESARES QVINQ. C. V. I. N. C. Exhibet Neronem & Drusum, Germanici filios, Quinquennales à colonia, ut Augustae familiae honor haberetur, lectos. Solebant saepe nobilissimi juvenes huic magistratui praefici. De Hadriano Imp. Spartianus c. 19. *In patria sua Quinquennalis & item Adriae Quinquennalis quasi in alia patria.* Quaeri potest an & huc pertineant Uticensium nummi, qui Proconsule Vibio Marso percussi repraesentant: NE. CAE. Q. PR. & DR. CAE. Q. PR. Callentissimus in hoc studiorum genere J. Vaillantius, damnata Angeloni sententia de *Quaestore Populi Romani*, Quaestorem Provincialem Drusum pariter ac Neronem Proconsule Vibio Marso anno DCCLXXVIIII. in Africa fuisse arbitratur. Mihi, ut ingenue dicam, haec sese non approbant. Si Quaestores

ſtores Provinciales fuere, qua fini is illis honor delatus eſt? An ut Proconſuli adeſſent? Profecto paſſurus id nunquam fuit Sejanus, nedum Tiberius, cui uterque hic nepos ſuſpectus ſemper fuit. Multo vero minus illo tempore. Novimus ex Tacito An. IV 59. jam antea ſubditos fuiſſe, qui accuſatorum nomina ſuſtinerent, maximeque inſectarentur Neronem, ſucceſſioni proximum, ut juveni per contumeliam fortiora verba elicerent: alios occurſum ejus vitaſſe; quoſdam ſalutatione reddita ſtatim fuiſſe averſos: pleroſque incoeptum ſermonem ſubito abrupiſſe. Et paſſus fuiſſet Sejanus, ut eo honore in Provincia agerent, aut nomen nummis impune inſcriberetur? Neque expeditum ſatis eſt, quam ob rem duos Quaeſtores Marſo adjunxerint. Licuiſſe conſularibus, ut plures Quaeſtores adſciſcerent, affirmatur quidem Dionis Caſſii *L.* LIII. auctoritate. Sed fruſtra, cum nihil ejus inibi legatur, ut nuperrime monuit Cl. Chriſt. Sigiſm. Liebe. Marſi quoque proconſulatus ſuo non videtur aſſignatus anno. Dolabellam victo Tacfarinate, belloque perpetrato ſtatim deceſſiſſe innuit Tacitus An. IV. 26. Succeſſit Vibius Marſus anno DCCLXXVI, fuitque in Africa magnam partem anni DCCLXXVIII, ante tamen quam finiretur Romam reverſus, ut ex c. 56. colli-

 gas,

posteriori Drusi Caesaris Quinquennalem Praefectum T. C. Rufum. Neque velim existimes, ignotam esse hanc praefecturam. Literati lapides ejus memoriam servarunt in praestantissimo Gruteri opere p. CCCCXCI.

PRAEF. QVINQ. TI. CAESARIS
PRAEF. QVINQ. NERONIS. ET DRVSI
CAESARVM. DESIGNATO.

Habes hic, quod in nummo indicari opinamur. Literae F. C. aut ludos editos, aut statuam dedicatam, quam *fieri curarant* innuunt. In numismate Fridericiani Thesauri CAE. Q. PR. Caesaris Quinquennalis praefectus memoratur: Sed exscribamus integram epigraphen ex gazae illius c. II. sect. 3. CVI EX PR TG RVFVS SOR CAE Q PR TG RVFVS FC. Legit Vir Doctus priora: *Cajo VIbio EXcito PRovincia Titus Gemin: us RVFVS SOR Anus*, aut, *Cajo VIbio EXcito PRovincia Relictus*, & reliqua. Non obloquar explicationi, tametsi multa ponat ad probandum difficillima. In re dubia suum cuique judicium esto. Mihi literarum haec videtur esse sententia: *Titus Gemmius Rufus Soranus Caesaris Quinquennalis Praefectus Titus Geminius Rufus fieri curarunt civitate Utica immuni ex praecepto.* Nihil hic sumo, nisi quod in hu-

 jus

jus generis monumentis passim occurrit. Si cui tamen aliud placuerit, ciccum non interduim.

CAP. IX.

Dissident Poetae in Calais Zetaeque alis describendis. Soli alas Euripides dedit. Orphei versus examinantur & emendantur. Incoluerunt & Assyrii ad Pontum. Saepe librariorum negligentia voces distrahendae fuerunt conjunctae. Hinc lux Philostrato & veteri inscriptioni.

MIrifice secum invicem discordant in Calaë Zeteque describendis veteres. Alas plerique omnes hisce Boreae filiis aptant, eorum originem credo respicientes. Ventis alas tribui tralaticium est. Ipsos lapides hac eos figura repraesentare ex Alexandri Wilthemii Leodiensi Diptycho cuivis constare potest. Quis vero Malachiae elegantissimam translationem non admiratur, qua justitiae Soli alas dedit? Placuit eadem, sed in sole hanc orbis compagem suis radiis illuminante, Euripidi in Jone vs. 121.

Ἀι σαίρω δάπεδον Θεῦ
Παναμέριος ἅμ' ἀελίου
ΠΤΕΡΥΓΙ θοῷ.

Zetae Calaisque alae, quarum remigio citissime per aera ferri credula vetustas finxit, modo pedidus, modo tergo, nonnunquam etiam capiti annectuntur. Et pedibus quidem Apollonius L. 1. Argonauticon. ℣ſ. 219. junxit.

> Τὼ μὲν ἐπ' ἀκροτάτοισι ποδῶν ἑκάτερθεν ἐρεμνὰς
> Σεῖον ἀειρομένω πτέρυγας.
> *Illi vero ſub pedum talis utrimque nigras*
> *Quatiebant ſublimes alas.*

Tergo aptas fuiſſe Maximus Philoſophus de Electionibus ℣ſ. 415. ſignificat.

> Οὐδ' εἴ οἱ πτερύγεσσιν ἐπήρεα νῶτα γένοιτο,
> Οἷά γ' ἐνὶ μελέεσσι Βορήϊοι υἷες ἔχεσκον.

Cum utroque diſſidet Statius Theb. V. 433:

> *Theſea & Iſmarios, Aquilonia pignora, fratres*
> *Utraque quis rutila ſtridebant tempora penna,*
> *Cernimus.*

Non conſtitui haec in concordiam redigere. Luſus ſunt, poetarum ingeniis condonandi. Id inquirere praeſtabit, quid faciendum ſit his Orphei Argonauticon ℣ſ. 219.

Οἱ δὲ καὶ ταρσοῖσιν ὑπ' ἄκροις πεπότηντο
Ζήτης καὶ Κάλαϊς, δέμας εἴκελοι ἀθανάτοισιν.

Et qui ſub imis plantis volabant
Zetes Calaisque, corpore ſimiles mortalibus.

Sic Latina ex Graecis non malis ſunt facta. Sed ut de poſtremis nihil dicam, quid eſt *ſub imis plantis volare*? Equidem non intelligo. Barthius in commentario Statiano ad verſus productos locum hunc mendi manifeſtum habuit. Reddi jubet ſcriptori, καὶ ταρσοῖσι καὶ ὠτα(ρ)ίοις πεπότηντο, aut ſi cui id diſpliceat, καὶ ταρσοῖσι καὶ ὠατίοις. Neque hoc ſatis intelligo. An pedibus auribusque volabant? Noluit id credo Barthius: ſed pedibus auribuſque eorum appactas fuiſſe alas, in qua opinione Hyginus fuit Fabula 19. *Zetes & Calais Aquilonis venti & Orithyae, Erechtei filiae, filii. Hi capita pedesque pennatos habuiſſe feruntur.* Si idem animi fuiſſe Argonauticon huic ſcriptori appareret, bene ſe haberet, tametſi verba aliud indicent. Ne longum faciam, perſanatus mihi verſus videbitur, ſi junctim ὑπουατίοις legatur. Ταρσοῖσιν ὑπουατίοις πεπότηντο idem fere eſt, ac Statii,

Utraque quis rutila ſtridebant tempora penna.

Di-

Dicuntur ὑπεκάποι, quoniam auribus erant subjunctae, & prorsus ita conspiciuntur in Amisenorum numismate, quod inter Selecta sua vir praestantissimus Jac. de Wilde tabula VII. vulgavit: alterius enim utrius horum fratrum caput πτεροῖς ὑπεκαλίοις instructum atque ornatum exhibet. Haec de Boreae filiis. Quid vetabit & haec aliqua opera dignari? Ejusdem versus est 600.

> Καὶ τότε δὴ βασιλῆες ὀνειροπόλον διὰ πύστιν,
> Κνημὰν ἐπὶ ζάθεον, καὶ Δίνδυμον ἀκρώρειαν,
> Ὄφρα κε μειλίξαιντο ἐυσινίστοις ἐπὶ λοιβαῖς.
> Ῥείην πρεσβυγενῆ, θυμὸν δ᾽ ἀλέαιντο ἀνάσσης.
> Αὐτὰρ ἐγὼν ἑπόμην.

Laborat haec oratio manifesto defectu. Deest versui secundo, quod sententiam perficiat, verbum. Id ego olim restitutum poetae existimabam, si foret, καὶ Δίνδυμον ἄκρον ὄρουσαν, secto in partes versus postremo vocabulo: nunc si quis Orphei eo explicanda esse modo contendat, quo Flori haec L. III c. 6. *Ipse Pompejus in originem fontemque belli Ciliciam. nec hostes detrectavere certamen*, ut utrobique *eundi* verbum reticeatur, non mognopere pugnabo. Inter portus, ad quos errantes Argonautae appulerint, recenset ℣s. 752.

Ἀστα-

Ἀσσυρίων πλέων, πρηχὺν δ' ἀγκῶνα Σινώπης,
Καὶ φιλύρας ναίετας τι κ. τ. λ.

Vertuntur priora *Assyriorum ultimorum*, nullo profecto jure. Describuntur Assyrii Ponti accolae, in quorum finibus veteres Sinopen collocarunt. Valerius Flaccus *L.* v. 110

Assyrios complexa sinus stat opima Sinope.

Quare vero hi τέλεοι? an quod ceteris, qui Mesopotamiam incolerent, perfectiores melioresque essent? nunquam id inaudire memini, atque haud scio, an quisquam alius. Placent adhuc, in quas olim abii, cogitationes vocis hoc modo distrahendae:

Ἀσσυρίων τι λεῶν κ. τ. λ.

Atque ita fere Priscianus Periegeſ. ẏſ. 745.

Vicinos istis campos terramque patentem
Assyrii complent populi.

Saepe intempestiva ejusmodi vocabulorum coagmentatione scriptorum veterum sententiae sunt obscuratae. Est in Philostrati Heroicis c. 19. suavissimum odarion, in quo de Homero Achilles praeter alia:

Αἰ

Δι᾽ ὃν ἀθανάτοις ἶσος
Αἴας ἐμός. δι᾽ ὃν ἀδοριληπτος
Ἀειδόμενα σοφοῖς, κλέος ἤρατο,
Κοὔ πιτε Τροία

Per quem immortalibus par
Meus Ajax. Per quem invicta,
Cantata sapientibus, laudem meruit,
Nec cecidit Troja.

Appellat Achilles Trojam ἀδοριληπτον. Negabitne Heroum maximus eam urbem Graecorum armis esse domitam captamque? Deteret profecto multum de sua sociorumque laude, si fecerit. Ego nunquam id voluisse opiner: flagitium est è librariorum manibus profectum. Achilles dixerat:

δι᾽ ὃν ἁ δοριληπτος
Ἀειδομένα σοφοῖς κ. τ. λ.

Per quem armis occupta, & reliqua. Jam vides elegantissimam oppositionem carmini inesse. Per Homerum factum esse significat, ut Troja à Graecis subacta eversaque non prorsus ceciderit: Vivit enim vivetque ejus memoria in Homeri Iliade atque Odyssea. Provocabulum Dorum more hic positum neminem, puto, offendet. Citra dubium esse debet, hanc oden eorum dialecto fuisse exornatam, quamquam non ignoro longe aliud visum fuisse Cl.

Oleario. Ipsi hi versus Viri Docti sententiam infirmant ac diluunt.

Ἀχῶ περὶ μυρίον ὕδωρ
Μεγάλυ ναίοισα πλόϊμα πόντυ
Ψάλλε σε λύρα διὰ χειρὸς ἱμᾶς.

Mitto reliquos. Ex simili vero caussa evenisse arbitror, ut in cultissimo epigrammate, Petroniae Musae posito, in Fabretti Inscriptionibus c. 4. n. 215.

ΤΙΣ ΜΟΥ ΤΗΝ ΣΕΙΡΗΝ ΑΚΑΚΟΝ ΚΑΚΟΣ
ΗΡΠΑΣΕ ΔΑΙΜΩΝ
ΤΙΣ ΜΟΥΤΗΝ ΓΛΥΚΕΡΗΝ ΗΡΠΑΣ
ΑΗΔΟΝΙΔΑ.

vertendum censuerint:

Quis meam Sirenem innocuam malus arripuit Daemon,
Quis MUTEN *dulcem rapuit lusciniolam.*

Crediderunt haud dubie ΜΟΥΤΗΝ esse proprium feminae nomen. Prudentius rem suam curassent, si notissimas voculas ΜΟΥ ΤΗΝ disjunxissent.

CAP.

CAP. X.

Disputatur de vera sententia fragmenti Melitonis Sardiani. Ostenditur saepe Christianos in Apologiis suis Christum Deum appellasse, quantumvis unum Deum sese profiteri assseverarent. Raderi Chronici Paschalis versio infida est, nec tamen ille fragmentum Melitonis aliter ac alii legit. Melitoni sua scriptura redditur. ἐπὶ & ἔτι à librariis invicem confunduntur. Philostratus emendatur. Athenagoras semel & iterùm defenditur.

EGregium Melitonis Sardiani ex Apologia fragmentum in Chronico Paschali p. 259.
ıobis conservatum est. Vera illius sententia ad-
nodum est controversa, his illisve in suam par-
em, ut fieri solet, verba rapientibus. Placet
uic loco inserere, &, quid velit, inquirere.
ουκ ἐσμὲν λίθων οὐδεμίαν αἴσθησιν ἐχόντων θρη-
σκευταὶ, ἀλλὰ μόνου θεοῦ, τοῦ πρὸ πάντων, καὶ
ι πάντων, καὶ ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, ὄντως θεοῦ
γου πρὸ αἰώνων, ἐσμὲν θρησκευταί. Vertebat
angius. *Non sumus cultores lapidum, ne mi-
mo quidem sensu praeditorum, sed solius Dei,
i est ante omnia, & in omnibus, & in Christo
is, vere Deo verbo ante secula.* Praecipua dif-
ultas est in his, ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ. Ernest. Gra-
s voculam ἐπὶ expunxit. Raderus in sua
sione eam non habet. Cangius, ut vides,

in Christo dedit. At vir Doctus, qui Artemonius appellari voluit, *& super Christum ejus* reddidit, negavitque confidentissime Christum hic Deum cognominari. *Verba ista*, inquit, *in Apologetico suo Melito posuerat, ubi si etiam Christum Deum vocasset, eo ipso loco, quo μόνου θεοῦ, solius uniusque Dei, mentionem fecerat, sibi ipse contradicere, & coram ethnicis duos Deos statuere visus esset.* Demiror haec excidere potuisse viro, in Apologeticis Christianorum scriptis satis versato. Si illos ostendero praeter unum Deum patrem in Apologiis & Deum filium appellasse, eumque sese colere professos esse, quid hac observatione facies? Utar duobus tantummodo testibus, sed locupletibus & bonae fidei. Et primo quidem Athenagora, qui postquam pluribus edocuisset, se unum Deum ex animo credere & fateri, sic cap. 10. pergit. Τίς οὖν οὐκ ἀπορήσαι, λέγοντας θεὸν πατέρα καὶ υἱὸν θεὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον, δεικνύντας αὐτῶν καὶ τὴν ἐν τῇ ἑνώσει δύναμιν, καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν, ἀκούσας ἀθέους καλουμένους; *Quis igitur non miretur, nos qui Deum patrem praedicamus, & Deum filium & Spiritum Sanctum, ita ut & unionis eorum vim & ordinis distinctionem exponamus, atheos appellari.* Habes hic Deum patrem, Deumque filium in defensione religionis Christianae ad Imperatorem, à Sacris no-

nostris alienissimum, missa. Dicere velle, υἱὸν θεὸν hic esse à falsariis intrusum, aut in υἱὸν θεῦ commutandum, prorsus non sufficit. Depravabitur ita Athenagorae sermocinatio. Dolet sese Atheos maligne atque accusatorie appellari: Injuria id fieri monet, si quidem Deum patrem Deumque filium venerentur & Spiritum Sanctum: & recte omnino: Si sustuleris hinc θεὸν υἱὸν, secus erit. Ineptissimum enim est, nolle atheos haberi ob cultum filii & Spiritus Sancti, quorum neutrum Deum agnoscas. Sed accedat Athenagorae Tertullianus Apologetici c. 22. *Verum neque de Christo erubescimus, cum sub nomine ejus deputari & damnari juvat, neque de Deo aliter praesumimus. Necesse est igitur pauca de Christo, ut Deo.* Deinde quibusdam interpositis pergit: *Hunc ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco filium Dei, & Deum dictum ex unitate substantiae: Nam & Deus Spiritus.* Et hic, quod ponebam, occurrit. Ruit ergo à viro Docto producta ratio. Et tanto magis, quod nihil à consuetudine sua alienum tradat Melito, Verbum Deum appellitans. Aliunde edocti sumus Melitoni id familiare fuisse. Cajus, aut quicunque sit, apud Eusebium *L.* v. Hist. Eccles. cap. ultimo. τὰ γὰρ, inquit, Εἰρηναίου τε καὶ Μελίτωνος καὶ τῶν λοιπῶν τίς ἀγνοεῖ βίβλια, θεὸν καὶ ἄνθρω-

*θρωπον καταγγέλλοντα τὸν Χριστόν. Nam Irenaei
quidem & Melitonis & reliquorum ſcripta quis
eſt qui ignoret, in quibus Chriſtum Deum ſimul
atque hominem praedicarunt.* Sed quid fiet,
inquies, verbis καὶ ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ? Ea e-
go, ne quid diſſimulem, commodum hic poſ-
ſe locum habere non putaverim: Verte enim
omnia haec Melitonis, & interſere pro arbi-
trio οὗ ante ἐσμὲν θρησκευταί cum Artemonio.
*Non ſumus cultores lapidum, nullum ſenſum ha-
bentium, ſed ſolius Dei, qui eſt ante omnia &
ſuper omnia, & ſuper Chriſtum ipſum, vere
Dei verbum ante ſecula, cujus veneratores ſu-
mus.* Verte inquam ita. Sed vide pariter, non-
ne elumbis & abſurda reddatur oratio. Neque
enim indicat cujus ipſi veneratores cultores-
que ſint, Deine an Dei Verbi? Nonne prae-
terea apta eſt ad ſignificandum, Dei Verbum
prorſus idem ac eſſe Deum patrem? Certe ho-
mo paganus rerumque Chriſtianarum imperi-
tus ex Graecis vix aliud colligere potuit, ac
μόνον θεὸν & τὸν ὄντως θεὸν λόγον, ſive θεοῦ λό-
γον, cujus cultores ſe Chriſtiani profiteban-
tur, nulla omnino re differre: Et tamen lon-
ge alia voluiſſe Melitonem cognitiſſimum eſt.
Quis porro illud οὗ inſititium ob Raderi ver-
ſionem Latinam admittet? Si ea illi fidem po-
teſt praeſtare, poteſt etiam argumento eſſe,
eradendum atque inducendum eſſe ἐπὶ, ne-
que

que enim id agnoscit. Caussa par erit, & injuria vir Doctus Ernest. Grabio contra ibit, hanc vocem è Melitonis fragmento exterminanti. Quid si vero appareat illud οὐ non fuisse in Raderi codice? Raderi editionem expressit Cangius, & accurate, ut ipse gloriatur. In Cangii editione nusquam conspicitur, manifesto indicio caruisse eo etiam Raderianam. Sed esse dices in ejus versione. Quid tum porro? cum exploratissimum sit, Raderum in plerisque Graeci scriptoris mentem non fuisse assecutum, fatente Cangio, & ante eum aliis. Atque haec diu est, quum scripseram: Jam tempori ex vicinia ab amico admoneor, in Raderiana Monachiensi editione extrema pagina DCVI. ita legi: Μελίτων Σαρδιανῶν ἐπίσκοπος μετὰ πολλὰ τῶν ἐπιδοθέντων παρὰ τοῦ αὐτοῦ Ἰουστίνου φησίν· Οὐκ ἐσμὲν λίθων, οὐδὲ μίαν αἴσθησιν ἐχόντων θεραπευταὶ, ἀλλὰ μόνου θεοῦ, τοῦ πρὸ πάντων, καὶ ἐπὶ πάντων, καὶ ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ. ὄντως θεοῦ λόγου πρὸ αἰώνων ἐσμὲν θρησκευταί. Vertuntur: *Melito Sardicensium Pontifex post multa à Justino tradita scribit: Non colimus nos expensa saxa, sed solum Deum, qui est ante omnia & in omnibus, & Christum ejus, verum Dei Verbum ante secula, cujus cultores sumus.* Cum ergo sole clarius dilucescat illud οὐ è libris exulare, & oratio hiulca videatur, quis dubitabit, quin fuerit à Melitone scriptum,

&

καὶ ἔπι τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, ὄντως θεοῦ λόγου. Hoc si recipiatur omnia optime decurrent: *Non sumus*, inquit, *cultores lapidum*, *sensu omni carentium*, *sed solius Dei*, *qui ante omnia*, *&* *super omnia*, *&* *praeterea Christi ejus*, *vere Dei Verbi ante secula*, *cultores sumus*: Nec remorabitur quemquam mutatio vocis ἐπὶ in ἔπι, quae minima est, si consideretur, codicem, quo Raderus in editione adornanda usus est, corruptissimum fuisse. Questi id olim viri Docti sunt, ut Cangius exemplis in praefatione commonefecit. Et haud raro evenire solet, ut π & τ fatali quadam librariorum oscitantia invicem confundantur. Verbi caussa: In Philostrati *L* II. Iconum c. 30. nunc leges: Καπανεὺς δὲ γίγαντι εἴκασται· πρὸς γὰρ τῷ μεγέθει βέβληται ὑπὸ τοῦ Διὸς, καὶ ἐπιτύφεται. *Capaneus giganti similis est Praeterquam enim quod magnitudine gigantem refert*, *Jovis fulmine quoque ictus*, *comburitur*. Imo vero, *adhuc dum aduritur*. Fuerat olim καὶ ἔτι τύφεται: in pictura scilicet, quae expressam cladis Capanei imaginem ostentabat: atque ita brevi post loquitur: κἂν τοῦ καρποῦ σπάσῃς, αἷμα ἐκδίδοται νῦν ἔτι. *Quod si fructum decerpseris*, *sanguis etiamnum funditur*: In ipsa videlicet pictura. Nihil quoque est, ut, unde sumus digressi, redeamus, in verbis, sicuti correximus, quod aut Melito, aut ceteri Christiani suum non agnos-

agnoſcant. Melitonem Chriſtum Deum cognominaſſe, ſupra ex Cajo commonſtravimus. Chriſtianos ſe praeter Deum patrem Deum filium adorare faſſos eſſe, ex Tertulliano & Athenagora oſtenſum eſt. Et ſi quid etiamnum addubites, habe haec ex Apologia Juſtini, quae vulgo prima dicitur: τὸν γὰρ ἀπὸ ἀγεννήτου καὶ ἀρρήτου θεοῦ λόγον μετὰ τὸν θεὸν προσκυνοῦμεν καὶ ἀγαπῶμεν. Et quod praeterire minime oportuit ex Athenagora c. 26. Ὡς μὲν οὖν οὐκ ἐσμὲν ἄθεοι, θεὸν ἄγοντες τὸν ποιητὴν τοῦδε τοῦ παντὸς, καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ λόγον, κατὰ δύναμιν τὴν ἐμὴν, εἰ καὶ μὴ πρὸς ἀξίαν, ἐλήλεγκται. *Non eſſe nos Atheos, qui hujus univerſitatis conditorem, ejuſque verbum Deum agnoſcimus, pro virili mea, quanquam non ut oportuit, coarguimus.* Patet hinc Athenagoram Chriſtum, Dei Verbum, Deum eſſe profiteri. Non me fugit, alios aliter haec vertere. Sed hanc ejus eſſe veram ſententiam, perſuaſus ſum. Θεὸν ἄγειν Athenagorae eſt, Deum aliquem profiteri. Deum agnoſcere: ſic cap. 9. Τὸ μὲν οὖν ἄθεοι μὴ εἶναι, ἕνα τὸν ἀγέννητον, καὶ ἀΐδιον ——— θεὸν ἄγοντες ἱκανῶς μοι δέδεικται. *Non eſſe Atheos, qui unum ingenitum aeternumque Deum profitentur, ſatis à me demonſtratum eſt.* & cap. 5. Ἐπεὶ δὲ ὁ λόγος ἡμῶν ἕνα θεὸν ἄγει, τὸν τοῦδε τοῦ παντὸς ποιητήν. Ex quibus & id diſcere licet, temere ex Athenagorae c. 26. verbis exturbari ob Bodlejani

M codi-

codicis consensum τῦδε. Illud enim scriptoris hujus animo placuisse apparet.

Cap. XI.

De tubi optici inventione & usu: Utrum veteribus Astrologis fuerit notus? Gerberti fistulam non fuisse ejusmodi tubum. Ditmarus ex Gerberti epistola explicatur. De Strabone quaedam. Ostenditur ex Recognitionibus Clementinis inventum, quod post Helmontii & Boylei tempora celebre fuit, satis antiquum videri.

INter memoranda inventa merito tubi optici, quorum ope tot veteribus ignota recentior aetas in sideribus animadvertit, referuntur. Saepe quaesitum est, fueritne aliqua tuborum hujusmodi antiquis Astrologis notitia. Non defuere, quibus id non plane à vero recedere visum est: Movebantur veteri pictura, qua Conradus monachus Scheurensis circa seculi XIII. initia in Petri Comestoris Historia Scholastica Astronomiam exhibebat, *adjunctam habens*, verba sunt Joan. Mabillonii, qui codicem oculis usurpavit, ex Itinere Germanico, *à dextris Ptolemaei effigiem, sidera contemplantis ope instrumenti longioris, quod instar tubi optici, quatuor ductus habentis, concinnatum est.* Addebatur suspicioni majus

jus robur ex illis, quae de Gerberto, quem Silvestri II. nomine insignitum Roma pontificem vidit, Ditmarus Mersburgensis extremo L. VI. commemorat. *Optime callebat astrorum cursus discernere, & contemporales suos variae artis notitia superare. Hic tandem è finibus suis expulsus, Ottonem petiit imperatorem, & cum eo diu conversatus, in Magdaburg horologium fecit, illud recte constituens, considerata per FISTVLAM quadam stella, nautarum duce.* Fistula enim Ditmaro videbatur appellari tubus, quem opticum vocant, fistulae non plane absimilis. Ipse Strabo, si tamen sana ejus scriptura est, talis fistulae commeminit *L.* III. p. 138. τὴν δὲ τοῦ μεγέθους φαντασίαν αὔξεσθαι μὲν ὁμοίως κατά τε τὰς δύσεις, καὶ τὰς ἀνατολὰς, ἐν τοῖς πελάγεσι, διὰ τὸ τὰς ἀναθυμιάσεις πλείους ἐκ τῶν ὑγρῶν ἀναφέρεσθαι, διὰ δὲ τούτων ὡς δι' αὐλῶν κλωμένην τὴν ὄψιν, πλατυτέρας δέχεσθαι τὰς φαντασίας. *Magnitudinem autem solis ideo augeri videri sub ortum & occasum in maribus altis, quod plures vapores ab humido in altum sese attollunt: quibus infractos visus radios, tanquam per fistulas, ampliorem vera quantitatem recipere.* Atque haec potissima sunt, quae pro teloscopiis, veterum oculis manibusque tritis, in medium produci posse, allataque esse video. Id vero mirandum maxime est, potuisse eorum usum, si qui fuerit, ita obliterari, ut ante seculi XVII.

initia viros eruditiſſimos, & in ſiderum contemplatione aſſiduos prorſus lateret. Fuere omni tempore, qui aſtrorum curſu poſituraque conſiderandis animum ſuum oblectarent. Quam ſtudioſe Graeci, Arabes, ipſique dein Latini Aſtronomiae attenderint, quid operae in arte excolenda, viris principibus liberaliter ſumptus ſuppeditantibus, fuerit inſumptum, nemo ignorat. Et credemus ſpreviſſe eos inſtrumentum, tam utile, tamque accommodatum huic ſtudio? Fateor plurima veteri aevo cognitiſſima paullatim uſibus hominum fuiſſe exempta, ſive per continuata bella cladeſque innumeras, ſeu alias quaſcunque cauſſas factum velis. Sed ea, ſi res recte putetur, aut luxus inſtrumenta fuere, aut talia pleraque, quae melioribus inventis ultro fuere neglecta. Neque ita interciderunt illa, quin ſatis adhuc diluceſcat receptus eorum uſus. In teloſcopiis ſecus res habet. Quis enim veterum ſuperſtes eſt, qui ita deſcripſerit, ut rem ſtatim cognoſcas. Reſpice Strabonis verba, ea αὐλῶν *fiſtularum* meminerunt. Sed fueriūtne illae ad aſtrorum amplitudinem curſumque explorandum adhibitae, nuſquam indicatur. Ne dicam, juſtiſſimam videri Theod. Almelovenii ſuſpicionem, ὑάλων ſcripſiſſe Strabonem, cum criſtallo aut vitro potiſſimum ea vis inſit. Fac tamen reliquiſſe Geographum, uti nunc

edi-

editum est, unde tandem cognoscemus, vitris illas fistulas instructas atque ornatas fuisse? Atque idem hoc merito quaesiveris de pictura Conradi monachi Scheurensis: Licet enim illa instrumentum tubo non prorsus dissimile referat, quis praestabit id etiam habuisse, sine quo tubi nostri parum prosunt. Nam Gerberti apud Ditmarum fistulam vitris caruisse vix dubitem. Et ne putes temere hoc à me jactari, ipso teste comprobabo. Edidit Joan. Mabillonius in Analectis suis Gerberti epistolam de sphaerae constructione ad Constantinum Floriacensem Monachum: In ea novae editionis pagina CIII. haec ait: *Nam ita septem erunt foramina, in quibus singulis singulas semipedales fistulas constituis, eruntque duae extremae contra se positae, ut per utrasque, tanquam per unam, videas. Ne vero fistulae hac illacve titubent, ferreo semicirculo, ad modum praefati hemisphaerii, secundum suam quantitatem mensurato & perforato utere, quo superiores extremitates fistularum coerce: Quae hoc differunt à fistulis organicis, quod per omnia aequalis sint grossitudinis, ne quid offendat aciem per eas coelestes circulos contemplantis.* Si fistulae ab organicis, ut vocat, nulla alia re discreparent, quam quod aeque late paterent, & aequali forent crassitudine, clarissime liquet vitra afuisse. Sint ergo hae fistulae

dioptrae potius, quam teloſcopia, maneatque gloria inventi tubi ſeculo XVII. Non idem facile cenſuerim de celebrata Helmontii Boyleique opinione, qua certis rerum documentis manifeſtarunt, arbores plantaſque, aquis alimenta ſufficientibus, potiſſimum creſcere. Nam quod viri diligentiſſimi monuerunt, ſi vaſi certa terrae menſura libratumque pondus ingeratur, & ſurculus ſtolove in eam terram deplantetur, fore poſt plures annos, arbore exciſa atque eradicata, ut idem terrae pondus vaſi denuo eximatur, id ante plura ſecula in mentem venit Recognitionum Clementinarum auctori. Verba ex *L.* VIII. c. 27. haec ſunt: *Ut autem rebus ipſis & exemplis probemus, nihil omnino ex terrena ſubſtantia ſeminibus dari, ſed totum ex elemento aquae. & ſpiritus, qui ineſt ei, virtute conſtare. Pone mihi, verbi gratia, in cratere aliquo ampliſſimae magnitudinis injici terrae talenta centum; & ſeminentur in eo diverſae ſpecies ſeminum, vel olerum, etiam virgultorum. His praebeatur ad rigandum aqua ſufficiens, & per annos plures habeatur iſta diligentia: congregentur autem ſemina, quae collecta fuerint, verbi gratia, frumenti, vel hordei, aliarumque ſpecierum per ſingulos annos ſeorſim, donec unius cujuſque acervus ad centum talentorum pondus adſcendat, tum etiam arbores avulſae radicitus adpendantur:*

tur: & his omnibus ex cratere sumptis, si addendatur terra, centum sua nihilominus talenta salva restituet: Unde ergo dicemus omne illud pondus, omnemque quantitatem seminum diversorum atque arborum surrexisse? Nonne evidenter apparet, quia ex aquis? Haec ille, quae si contendas cum virorum illorum observationibus, videbis paene gemina esse. Nec tamen opinor ex hoc fonte sua illos hausisse. Diligentibus naturae speculatoribus venatoribusque evenit, ut in easdem plane cogitationes, rebus ipsis ducentibus, abirent: Verumque adeo hic est Terentianum id: Nullum jam dictum est, quod non dictum sit prius.

CAP. XII.

Athenagorae locus explicatur & emendatur. χεῖρες, *manus de tabulis pictis & statuis: Hinc Theophilus Antiochenus illustratur. Tatianus erroris absolvitur, illique succurritur. Pythagoras à Pherecyde animarum transmigrationem accepit. Theophili errores. Theodoreto & Eusebio sua lectio redditur.*

NOn male collocaturum me operam existimo, si quaedam in antiquissimis Christianorum Apologiis à librariis commissa integritati pristinae restituere coner. In Athenagorae Legatione pro Christianis c. 14. leges:

loges: Ὁ δὲ Πύθιος, ἔργον Θεοδώρου καὶ Τηλεκλέους. καὶ ὁ Δήλιος καὶ ἡ Ἄρτεμις Ἰδεκταίου καὶ Ἀγγελίωνος τέχνη. ἡ δὲ ἐν Σάμῳ Ἥρα καὶ ἐν Ἄργει, Σμίλιδος χεῖρες, καὶ Φειδίου τὰ λοιπὰ εἴδωλα. *Pythius Theodori & Teleclis opus est: Delius Apollo & Diana Idectaei: Juno in Samo & Argis Smilidis manibus facta est: Simulacra cetera Phidiae sunt.* Peccatum in his multifariam est: Et primo quidem una voce auctiora sunt, quam oportuit: Θεοδώρου καὶ Τηλεκλέους: ſcriptum olim fuit Θεοδώρου Τηλεκλέους ſine copula: Fuit Theodorus Teleclis filius, paſſimque Graecorum more a patre cognominatur. Pauſanias in Arcadicis c. 14. Διέχεαν δὲ χαλκὸν πρῶτοι καὶ ἀγάλματα ἐχωνεύσαντο Ῥοῖκός τε Φιλαίου, καὶ Θεόδωρος Τηλεκλέους Σάμιοι. *Primi aes conflare & ſigna fabricare docuerunt Rhoicus Philaei*, ſic recte emendant, *& Teleclis filius Theodorus, ambo Samii.* Et in Phocicis capite ultimo. Ἐδήλωσα δὲ ἐν τοῖς προτέροις τοῦ λόγου Σαμίους Ῥοῖκον Φιλαίου καὶ Θεόδωρον Τηλεκλέους εἶναι τοὺς εὑρόντας χαλκὸν ἐς τὸ ἀκριβέστατον τῆξαι. Deinde non ſatis ſanum eſt Ἰδεκταίου, quo nomine ſtatuarium aliquem fuiſſe non liquet. Verum eſt Τεκταίου. Pauſanias in Corinthiacis c. 32. μαθητὴς δὲ ὁ Κάλλων ἦν Τεκταίου καὶ Ἀγγελίωνος, οἱ Δηλίοις ἐποίησαν τὸ ἄγαλμα τοῦ Ἀπόλλωνος. *Fuit autem Callon hic Tectaei & Angelionis diſcipulus, qui De-*

Delii simulacrum fecerunt Apollinis. Denique & his aliquid vitii importatum videtur. ἡ δὲ ἐν Σάμῳ Ἥρα καὶ ἐν Ἄργει. Intelligitur Junonis signum, quod Argonautae Argis asportarunt in insulam Samum. Pausanias in Achaicis c. 4. Τὸ δὲ ἱερὸν τὸ ἐν Σάμῳ τῆς Ἥρας, εἰσὶν οἳ ἱδρύσασθαί φασι τοὺς ἐν τῇ Ἀργοῖ πλέοντας, ἐπαγομένους δὲ αὐτοὺς τὸ ἄγαλμα ἐξ Ἄργους. *Fanum Junonis, quod Sami est, sunt qui dicant Argonautas dedicasse, illuc simulacro Deae Argis advecto:* qui si verum tradit, scribere Athenagoras debuit ἐξ Ἄργους, aut, ἡ καὶ ἐν Ἄργει, quae & Argis fuerat: Atque his ita observatis, licebit credo optimi scriptoris verba hoc modo refingere; Ὁ δὲ Πύθιος ἔργον Θεοδώρου Τηλεκλέους· καὶ ὁ Δήλιος καὶ ἡ Ἄρτεμις Τεκταίου καὶ Ἀγγελίωνος τέχνη. Ἡ δὲ ἐν Σάμῳ Ἥρα ἡ ἐξ Ἄργους Σμίλιδος χεῖρες. Nec dum tamen ab Athenagora recedimus: Postrema verba elegantiam redolent. Solent utriusque linguae scriptores picturas statuasque praestantissimorum artificum ea dictione designare: exemplis parcam, uno Theophili Antiocheni defuncturus, visurusque, ecquid illi prodesse queam. De Jove L. II. ad Autolycum c. 3. sic interrogat: Ποῦ δὲ καὶ ἐτάφη, εἰς οὐρανούς; Οὐχί. ἀλλ' ἆρ' ἐρεῖς εἰς Κρήτην; ναί, ὅπου καὶ ὁ τάφος αὐτοῦ ἕως τοῦ δεῦρο δείκνυται. πάλιν φήσεις, εἰς Πῖσαν, ὁ ἀνδριὰς ἕως τοῦ δεῦρο τὰς χεῖρας Φειδίου. *At quo abiit?*

abiit? In coelos? nequaquam. Quo igitur? in Cretam? Recte, ubi ſepulchrum ejus adhuc hodie viſitur. Denuo inquies, Piſam conceſſit, ubi huc uſque Phidiae manum concelebrat. Habet neſcio quid ingrati illud ὁ κλέων: cui bono articulus ille? & quid κλέων? Si, quod in verſione eſt, voluit, ſaltim κλείων dixiſſet. Equidem, ſi qui codex addiceret, οἰκῶν mallem, ut Theophilus illudat in Jovem, qui ad ſua uſque tempora, ſtatuam Phidiae manu affabre factam incolebat. Nam ſcriptoris hujus tempeſtate inſanum & ridiculum ſimulacrorum cultum paſſim fuiſſe probatum, ſatis conſtat. Forſan etiam ſuſpicari licebit Theophili animo obverſatum fuiſſe poetae alicujus verſum. Οἰκῶν ἕως τοῦ δεῦρο Φειδίου χέρας. Verum hoc timide affirmo, tametſi mihi perſuaſum ſatis ſit, ab iſtiusmodi parodiis Theophilum non abhorruiſſe. Tranſeo ad Tatianum, qui Oratione ad Graecos c. 41. Πυθαγόρας, inquit, Εὔφορβος γεγενῆσθαι φησίν. ὁ δὲ Ἀριστοτέλης τοῦ Φερεκύδου δόγματος κληρονόμος ἐστί, καὶ τὴν ψυχῆς διαβάλλει τὴν ἀθανασίαν. *Pythagoras Euphorbum olim ſe fuiſſe inquit. Ariſtoteles Pherecydis dogmatis heres eſt, & animae immortalitatem criminatur.* Quaerunt interpretes unde Tatianus haec hauſerit? Nihil hujusmodi in Diogene Laertio legi, nihil etiam in aliis harum rerum ſcriptoribus. Imo vero alia omnia. Pherecy-

[illegible] animae immortalitatem rationibus adstruxisse & ab ea oppugnanda longissime afuisse. Verissime hoc monent. Nollem tamen actionem Tatiano, cujus hic nullum peccatum, intendi. Flagitium est exscriptorum, qui mutarunt: Scripserat ipse: Πυθαγόρας Εὔφορβος γεγενῆσθαι φησὶ, καὶ τοῦ Φερεκύδους δόγματος κληρονόμος ἐστιν, ὁ δὲ Ἀριστοτέλης τῆς ψυχῆς κ. τ. λ. Atque id ex superioribus perspicue cognosci potest. Professus enim Tatianus est, Pythagoram à Pherecyde habuisse metempsychosin, sive, Tertulliani vocabulo, animarum recidivatum revolubilem. Si hoc loco Pherecydis heredem nuncuparit Aristotelem, sibi ipse obloquetur turpissime, & Stagiritae Philosopho dabit, quod vivus improbavit. Crevisse vero dogmatis Pherecydis hereditatem Pythagoram, c. 5. docemus. Γελῶ καὶ τὴν Φερεκύδους γραολογίαν, καὶ τοῦ Πυθαγόρου τὴν περὶ τὸ δόγμα κληρονομίαν, καὶ τὴν τοῦ Πλάτωνος, κἂν τινες μὴ θέλωσι, τὴν περὶ τούτου μίμησιν. Nolim ceteroquin infitiari, Tatianum labi potuisse: sed discordasse secum in re sibi cognitissima, non opiner. Vellem ita subveniri posset Theophilo scribenti *L.* III. ad Autolycum c. 4. Τί δ' οὐχὶ Ἡρόδοτος ὁ ἱστοριογράφος μυθεύει, τὸν Καμβύσην τοῦ Ἁρπάγου τέκνα σφάξαντα κ. τ. λ. Peccare hic Antiochenum Episcopum in historiae fidem non est, ut moneam. Quisque ex He-

 rodoto

rodoto edoctus est; non Cam[illegible]sem
styagem Harpago liberos appo[illegible]sse [illegible]
dos. Reddi facile Theophilo[illegible]teri[illegible]
stitutum a viris egregiis est, [illegible]ag[illegible]
Neque ego refragarer, si scri[illegible] lib[illegible]
rent: Nunc secus est, praefer[illegible] illi
ter Cambysem. Quis vero pr[illegible]abit
philum ab errore hic fuisse im[illegible]nem
agentibus, viris etiam optimis [illegible]ali[illegible]
quam excidunt. Hujusmodi [illegible] id
Pythagoram semel iterumque [illegible]seve[illegible]
ἐκκόπτειν τ̃ πρόνοιαν tollere [illegible]ovid[illegible]
quod à veritatis regula reced[illegible] ma[illegible]
est. Non idem temere dixeri[illegible] de h[illegible] T[illegible]
doreti Oratione VIII. ad Grae[illegible]
λήγω τ̃ Κλεόμαχον ἔνδον ἐν τῷ [illegible]
ρηκε Λέανδρ@· τ̃ δὲ Λυκοφρόν[illegible]
Ἀρτέμιδ@ ἐν Μαγνησίᾳ [illegible]
ἔφη· τ̃ ἐν Τελμησῷ δὲ βωμὸν [illegible]
μα εἶναι Τελμησέως τ̃ μάντεως [illegible]
Sylburgii editione & altera, [illegible]e S[illegible]
tribuitur, satis profecto inqui[illegible]
men Theodoreti, sed libra[illegible]
Hausta omnia haec sunt ex [illegible]
xandrini Protreptico, aut poti[illegible]
II. Praeparationis Evangelic[illegible] c. [illegible] Jubet
Clemens ut in Cyrensis Episco[illegible] Oratione pro
Cleomacho Clearchum rescrib[illegible] nomenque
hoc reddas Eusebio, Διδύμ[illegible] in Διδυμαίῳ
com-

commutari debere nemo infitias ibit. Leucophryne notior est, quam quae latere debeat in Lycophrones titulo: Idem judicium esto de Telmisso, Cariae urbe, & urbis cognomine vate. Vertantur ergo Graeca verbis Arnobii L. vi. adversus Gentes: *In Didymaeo Milesio Cleochum* (Clearchum) *dicit habuisse supre-ma Leandrius funeris. Leucophrynae monumentum in fano apud Magnesiam esse Myndius profitetur ac memorat Zeno. Sub Apollinis arula, quae Telmessi apud oppidum visitur, Telmessum esse conditum vatem, non scriptis constantibus indicatur?*

CAP. XIII.

Defenduntur Novellae XXIX. *verba contra Viros Doctos, qui mutarunt. Fuisse in Paphlagonia urbem Soram probatur. De Capharbaricha, quae Hebrone non longe aberat: Hinc medela vitae S. Sabae. Auxilius explicatur & emendatur. Illustrantur quaedam ex jure Graeco Romano Leunclavii. De Flaviade & Anazarbo, quae & Nazarba & Anabarza dicta est: Notatur error in Alexandro Episcopo Hierosolymitano commissus. Emendatur subscriptio Legis* I. *C. de Haereticis.*

JUstiniani Imperatoris Novella XXIX. cap. I. verba sunt: *Inter ipsos vero Paphlagonas jurisdictionem habebit in alias sex urbes, quae*

quae jam inde ab initio ad eam provinciam pertinent, nempe Germanicopolin, Gangram, Pompejopolin, Dadybros, Tumulos Amastridis, & insuper Jonopolin. Ita Holoander vertit. Vir consultissimus, cui elegantem Novellarum versionem debemus, *tumulos Amastridis* ferre non potuit: *Cumulos Amastridis* mallet, quamquam in ipso, quem vocant, contextu *Soros* retinuit. Visum illi est Amastrin Σωρὸς Ἀμαστρίδος appellari, quoniam ex quatuor civitatibus auspiciis Amastridis, uxoris Dionysii Heracleensium tyranni, esset conflata: Audi Strabonem *L.* XII. p. 544. Ἐκείνη μὲν οὖν ἐκ τεττάρων κατοικιῶν συνῴκισε τὴν πόλιν, ἐκ Σησάμου καὶ Κυτώρου καὶ Κρωμνης, τετάρτης δὲ τῆς Τιείου, ἀλλ᾽ αὕτη μὲν ταχὺ ἀπέστη τῆς κοινωνίας, αἱ δὲ ἄλλαι συνέμειναν. *Illa urbem è quatuor pagis composuit. Sesamo, Cytoro, Cromna, ac Tejo. Verum hic cito defecit à societate, reliqui in uno corpore permanserunt.* Hinc satis certum est, Amastrin ea ratione ex pluribus coaluisse. Id merito dubites potueritne propterea *cumuli Amastridis* nuncupari: habet enim titulus hic nescio quid absurdi, &, si penitius introspicias, ridicnli. Sed hoc missum faciamus, & Graeca potius Justiniani consideremus: Φαμὲν δὲ Γερμανικοπόλεώς τε τῆς πρὸς Γάγγραις, Πομπηΐου πόλεως, Δαδύβρων καὶ Σωρῶν, καὶ Ἀμαστρίδος καὶ πρός γε Ἰωνοπόλεως. Mihi ea omnia

nia sana atque integra videntur. Sex Paphlagonum civitates memorantur: Germanicopolis, non longe Gangra disparata, Pompejopolis, Dadybra, Sora, Amastris & Jonopolis. Σωροὶ Ἀμαστρίδος nusquam memorantur, neque usquam fuerunt, nisi fortasse hac nostra tempestate, qua nobilissimarum Ponti civitatum parietinae duntaxat superant. Video equidem affirmari, Σωρῶν, urbis Paphlagoniae, apud Geographos vestigium nullum esse. Sed vellem diversae Romani Imperii aetati, variataeque ex temporum conditionibus Geographiae attendissent, quibus haec placuerunt: Antiquissimi Orbis Romani descriptores urbis, de qua agitur, non meminerunt. At non obliti sunt illi, qui, ruinam ducentibus Romanorum rebus, scriptitarunt. Sume haec Constantini Imperatoris *L.* 1. Themate 7. Ἔχει δὲ πόλεις ἐπισήμους ἡ Παφλαγονία πμοῦτας. πρώτην μὲν, μητρόπολιν Γάγγραν. δευτέραν δὲ, Ἀμάστραν. τετάρτην, Δάδιβραν. πέμπτην. Ἰωνόπολιν. ἕκτην, Πομπηιούπολιν. Habes hic urbem Paphlagoniae *Soram*. Scribe vero ex Novella nostra Δάδυβραν, nisi velis harum urbium nomina, uti terminatione, ita etiam scribendi modo paullatim fuisse mutata. Nicetae sane in rebus Alexii Comneni Δα…ρα dicitur. Inspice praeterea Hieroclis, quem Constantino Porphyrogenito plurimis annis

annis priorem fuiſſe conſtat, Synecdemum, & invenies inter urbes provinciae Paphlagoniae Soram recenſeri. Ἐπαρχία, inquit Παφλαγονίας ὑπὸ κορίκτορα, πόλεις ϛ. Γάγγρα, Πομπηϊούπολις, Σόρα, Ἀμάστριον, Ἰουνόπολις, Δάδυβρα. Poſſem ex Notitiis Eccleſiaſticis plura, quibus Σῶρα, nam Hieroclem ita ſcripſiſſe non dubium eſt, intexta eſt, proferre, ſi res poſtularet. Nunc neminem arbitror futurum, qui poſthaec urbem Paphlagoniae demat. Migremus ergo ex ea provincia in Palaeſtinam. Nota ſatis eſt Capharbaricha, tribus paſſuum millibus Hebrone ſejuncta, ſed mirifice paſſim, ſi nomen reſpicias, deturpata. Publicavit J. B. Cotelerius tomo III. Monumentorum Graecorum vitam S. Sabae, à Cyrillo conſignatam literis, in qua c. 16. Καὶ ὁ ἐν μοναχικοῖς κατορθώμασιν αἰδέσιμος Σευηριανὸς, ὁ τὸ Περικαπαρβαριχᾶ μονὴν μετὰ ταῦτα οἰκοδομήσας. Vertunt: *Et ob monachicas virtutes reverendus Severianus, qui deinde monaſterium Pericaparbaricha dictum aedificavit.* Tu disjunge vocem περὶ Καπαρβαριχᾶ. Significat enim Cyrillus proxime Capharbaricha monaſterium à Severiano fuiſſe conditum, idque citra omnem controverſiam eſſe debere, docemur c. 36. Καὶ μετέπειτα ἐλθὼν ἐπὶ Καπαρβαριχᾶ ἐτελειώθη πρὸς τὸ ἀνωτέρω μνημονευθέντος Σευηριανοῦ, κοινόβιον αὐτόθι οἰκοδομοῦντος. Debemus

mus eidem Cotelerio vitam S. Euthymii, tomo II. Monumentorum insertam. Illa turpiore vitio urbis nomen coinquinatum repraesentat c. 30. Ἀκούουσιν ὡς εἴη μεταξὺ παρ' Ἀβαρίχων καὶ Ἀριστοβουλιάδος. Latinus interpres: *Audiunt esse inter Parabarichos & Aristobuliadem.* Imo vero *inter Caparbaricha*, μεταξὺ Καπαρβαρίχων. Sed hoc de Sacra Geographia optime meritus H. Relandus occupavit. Addamus alia: Auxilius de ordinationibus à Formoso Pontifice factis inter Analecta Mabillonii c. 3. *Reverentius ab arcis Phoeniciae Tyrum migratus est: Joannes de Gordolyde mutatus est in Procoso, & in ea praesedit Ecclesia. Palladius ab Helenopoli, mutatus est in Asponiam*: Quis haec intelligat? Describit Episcopos, qui ex una sede in aliam migrarunt: Horum Reverentius ex Arcis, urbe Phoenices inter Antaradon & Tripolim, translatus est Tyrum: Joannes ex Gordo, Lydiae civitate, in Proconnesum traductus est. Palladius vero Asponam, oppidum Galatiae. Eadem in Jure Graeco-Romano Leunclavii p. 293. perscripta sunt, sed aeque mendis oblita: Ῥέβενος ἐπίσκοπος ἄρχων τῆς Φοινίκης μετεπέθη εἰς Τύρον, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Γόρδου τῆς Λυδίας εἰς προικόννησον· Παλλάδιος Ἑλένου μετηνέχθη εἰς Ἄπωνα. Qua vero ratione refingi debeant, ut multis dicatur, non opus

est: res ex observatis plana & aperta est. Pergit Auxilius post pauca: *Polycarpus de urbe Antapristena Mysiae, in Nicopolin Thraciae mutatus est*, quibus prorsus gemina in Historia Tripartita L. XII. c. 8. reperies. At quae tandem illa urbs? Debuisset uterque Exantapristena, aut Sexantapristena dicere: Socrates L. VII. Historia Ecclesiasticae c. 36. ex quo deprompta haec sunt: Ἀπὸ Σεξανταπρίστων τῆς Μυσίας. Sed haec alias fusius exsequi constituimus. Quia vero ad mutatas Episcoporum sedes delati sumus, illustremus obiter verba quaedam Juris Graeco-Romani p. 295. Ὁ Πατριάρχης Ἱεροσολύμων Νάρκισσος ἀπὸ τῆς ἐπισκοπῆς Φλαδιάδου, ἥτις ἐστὶν ὑπὸ τὴν μητρόπολιν Ναυάρζης, ἤγαγε τὸν ἐν ἁγίοις Ἀλέξανδρον, καὶ ἐχειροτόνησε Πατριάρχην Ἱεροσολύμων ἐπὶ τῆς βασιλείας Ἀλεξάνδρου τοῦ Μαμμαίας, ὥς φησιν Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου ἐν ταῖς Ἐκκλησιαστικαῖς αὐτοῦ ἱστορίαις, καὶ οὐχὶ ἐν τῇ βίβλῳ τῆς Ἐκκλησιαστικῆς αὐτοῦ ἀποδείξεως. *Narcissus Hierosolymorum Patriarcha ex episcopatu Fladiadi, qui subest Metropoli Navarzae, abduxit virum, sanctis adscriptum, Alexandrum, & Hierosolymorum Patriarcham ordinavit, imperante Alexandro Mammaeae F. sicut inquit Eusebius in Ecclesiastica Historia, & non in Demonstratione Ecclesiastica.* In his postrema nescio quid absoni habent: Cui enim bono illud additamentum?

Scrip-

Scriptum quoque perverſe eſt Φλαδιάδος, ut Leunclavius jam ſuſpicatus eſt, pro Φλαβιάδος, illa enim ſubjecta erat Metropoli, quae hic Navarza appellatur, ſed quae revera Azarbus eſt: Urbis illius nomen lapſu temporum varie mutatum eſt. Ex Anazarbo primo Anabarzam condidere. Zonaras in Juſtino Thrace: Ἡ δὲ Ἀνάζαρβος, ſic omnino legendum eſt, ἡ Ἀνάβαρζα τῆς δευτέρας Κιλικίας μητρόπολις. Eodem modo urbis nomen effert Nicetas Choniates in Joan. Comneno, ne de aliis dicam. Deinde fecerunt Ναβάρζην, quomodo hic olim fuit, Nabarzam, & Nazarbam. Poſterius invenio in c. 5. vitae S. Maximiani Ravennatis Epiſcopi, inſertae Agnelli Pontificali Part. II. *Nazarba civitas Ciliciae terrae motu facto concidit.* Sed haec levia & tralaticia ſunt. In id inquiramus, conſpirentne cum veritate, quae hic tradita leguntur? Euſebius de Alexandro *L.* VI. Hiſt. Ecc. c. II. refert, ex Cappadocia, in qua epiſcopatu fungebatur, Hieroſolymam adiſſe, tum adorandi, tum locorum viſendorum gratia, retentum autem fuiſſe ab ejus urbis Eccleſia, eique vivente & volente Narciſſo praepoſitum: Ἐκ τῆς Καππαδοκῶν γῆς, ἔνθα τὸ πρῶτον τῆς ἐπισκοπῆς ἠξίωτο, τὴν πορείαν ἐπὶ τὰ Ἱεροσόλυμα εὐχῆς καὶ τῶν τόπων ἱστορίας ἕνεκεν πεποιημένον. Nihil illic de Flaviade, imo vero alia

omnia. Venit Alexander è Cappadocum tractu, ubi Episcopum egerat: At Flavias longe aberat à Cappadocibus in Cilicia posita XVIII M. P. ab Anazarbo, uti Antonini, quod vocant, Itinerarium ostendit: Eusebio Zonaras & Nicephorus *L.* XIV. Hist. Eccl. c. 39. consentiunt, ut adeo ambigendum non videatur, quin hac in parte sit peccatum: Quod de tempore electi Alexandri additur, prorsus verum non est. Constat ex eodem Eusebio *L.* VI. Hist. Eccl. c. 8. Antonino Caracallo clavum imperii gubernante Hierosolymitanis Alexandrum fuisse praefectum: In Chronico tempus paullo accuratius finitur, initiumque episcopatus Alexandri principio imperii Caracalli alligatur. Haec Anazarbi occasione. Finem faciemus, ubi paucis subscriptionem *L.* I. *Cod. de Haereticis* examinaverimus: *PP. Kalend. Septemb. Generasto Constantino A.* VII. *&* *Constantio Coss.* Proposita lex dicitur *Generasto* Urbis nomen esse nemo infitiatur. Ubi vero locorum fuerit posita, & an integre servatum sit nomen ambigitur. In Oriente fuisse justissima suspicio est; data enim lex est ad Dracilianum agentem vices Praefecti Praetorio per Orientem, ut ex *L.* I. *Cod. Theod. de Usuris* Henr. Valesius & Jac. Gothofredus docuerunt. *Generasto* praefert uterque Codex, quamquam in Justinianeo scriptura variat: Scripti

Scripti enim libri Gothofredo teste *Geni casto* vel *Gerasti* edunt. Quis vero hoc nomine urbem Orientis commemoravit? Eruditissimus Gothofredus *Gerae asto* rescripsit, intellexitque Aegypti urbem, quae Straboni Γέῤῥα, Ptolemaeo Γέῤῥον, Hierocli Γέῤῥαι appellatur. Pertinuit haud dubie ea ad Orientis provinciam. Sed quid illud *asto* vel *astu* de urbe parva & satis ignobili? Ubi simile subscriptionis exemplum? Ego *Gerassae*, urbe Palaestinae, sed trans Jordanem, legem propositam crediderim. Fuit in ea provincia anno CCCXXVI. quo lata lex est Dracilianus, ut ex Constantini Imperatoris epistola ad Macarium Episcopum Hierosolymitanum, quam Eusebius *L.* III. de vita Constantini c. 30. ad nostram aetatem tramisit, apparet.

CAP. XIV.

Theophilus Antiochenus defenditur. Habuisse eum in Jonanne καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. *Quid veteres Theologi de Deo patre Deoque filio censuerint? Cyprianus, cujus scriptura vindicatur, non aliter ac Theophilus in Joanne legit. Victorinus, qui utrique hac in parte consentit, emendatur.*

THeophilo Antiocheno vindicias dabimus, eademque opera Cypriano & Victorino Petavionensi subveniemus. Ostenderat Theophilus amico suo, Deum hanc rerum universitatem creasse: formasse homines, marem & feminam, atque introduxisse eos in hortum, quem paradisum vocant, ceteraque omnia, quae Moses Geneseos capite II. enarravit. Post deinde hanc sibi difficultatem nectit: *Objicies igitur mihi: supra tradidisti*, τὸν Θεὸν ἐν τόπῳ μὴ δεῖν χωρεῖσθαι, *Deum loco non posse comprehendi: nunc vero ais eum in paradiso obambulare? Audi, quae dicam*, ὁ μὲν Θεὸς καὶ πατὴρ τῶν ὅλων ἀχώρητός ἐστιν, *Deus quidem universorum pater loco nec includitur, neque in loco invenitur. Non enim est locus, in quo quiescat: Ceterum sermo ejus* ὁ δὲ λόγος αὐτοῦ, *per quem omnia creavit, potentia ac sapientia patris, assumit personam patris & domini univer-*

versorum, οὗτος παραγίνεται εἰς τὸν παράδεισον ἐν προσώπῳ τοῦ Θεοῦ, *is venit in paradisum sub Dei persona, & colloquitur cum Adamo. Nam & ipsa Sacra Scriptura nos docet Adamum dixisse: Vocem tuam audivi. Vox vero quid aliud est,* ἀλλ' ἢ ὁ λόγος ὁ τοῦ Θεοῦ, ὅς ἐστι καὶ υἱὸς αὐτοῦ, *quam verbum Dei, qui & filius ejus est: nec arbitreris, ut poetae & fabularum scriptores perhibent Deorum filios ex concubitu esse natos, sed intellige enarrari* τὸν λόγον τὸν ὄντα διὰ παντὸς ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ τοῦ Θεοῦ, *sermonem perpetuo existentem & in corde Dei insitum. Antequam enim quicquam fieret, hunc consiliarium habuit, ut qui mens & prudentia ejus foret. Cum vero jam condere, quae deliberarat, instituisset,* τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν, *hoc verbum genuit prolatum, primogenitum omnis creaturae: nec interim Deus exinanitus* τοῦ λόγου, *verbo, verbum gignens, & cum verbo perpetuo suo agens. Unde nos docent sacrae literae, & omnes Sancto Spiritu afflati, quorum de numero est Joannes, haec dicens.* In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, *significans in principio solum fuisse Deum, & in eo verbum. Postea addit.* Et Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil. Θεὸς οὖν ὢν ὁ λόγος, καὶ ἐκ Θεοῦ πεφυκὼς, *cum itaque verbum Deus sit, & ex Deo progenitum, quando vult pater universorum, mittit ipsum in*

ali-

aliquem locum, ubi & advenit, & auditur, & videtur, & in loco reperitur. Hactenus Theophilus *L.* II. ad Autolycum c. 31. Quae omnia, quantumvis complufcula, ea fini exfcripfi, ut fcriptoris mens tanto clarius dilucefceret: Equidem, quod offendat, in his nihil invenio. Sana mihi atque integra videntur. Poftremam eorum partem perfonatus initii Evangelii S. Joannis reftituti auctor vellicavit. Probare hic Theophilum velle contendit, τὸν λόγον Verbum effe genitum, factumque προφορικόν. Deduci id non potuiffe ex his. *Et verbum erat apud Deum:* Inde tantummodo patere atque elucefcere, Verbum in Deo fuiffe infitum, ἐνδιάθετον. Elicuiffe ergo ex fequentibus. *Et Deus erat verbum.* Hinc verò non potuiffe, fi ita legerit. Habuiffe ergo Theophilum, καὶ Θεοῦ ἦν ὁ λόγος. Scribendum praeterea. Θεοῦ οὖν ὢν ὁ λόγος, καὶ ἐκ Θεοῦ κ. τ. λ. Quae fi quis alius Artemonio fcripfiffet, non adeo demirarer. Ipfe futile & ineptiffimum hoc argumentandi genus arbitratur, & tamen Theophilo praefcribit, ut inde natales Verbi extorqueat. Quae, malum, nova haec agendi methodus eft? Licebitne nobis quidvis etiam invitis inculcare. Sed fac Theophilum, ficuti opinatur Vir Doctus, dediffe, indene parebit verbum effe generatum factumque προφορικόν? Non temere ex-

istimaverim id in animum induxisse Antiochenum Episcopum. Quis enim ex ea sola caussa Verbum esse generatum à Deo censuerit, quia *verbum Dei* dicitur? Multa in Sacris nostris Dei esse feruntur, quae propterea nemo ex Deo esse nata profitebitur. Atque hoc ipse agnovisse Artemonius videtur: namque hinc ortum denuo illud emblema est; quod verbis Joanneis ab eo insertum animadverto: *Et Dei* (filius, prolatio) *erat verbum*. Cui tandem bono? Si *Et Dei erat verbum* generationem ipsam enarrat. Et quo auctore edocebimur illa, *filius*, *prolatio*, verbis Evangelistae à Theophilo fuisse interposita, aut saltim animo interposuisse? Equidem, si hoc institutum amplecterer, pari jure affirmarem, Episcopum hunc Joannis verba tali modo accepisse: *Et Deus* (genitus) *erat verbum*. Sed absit, ut obtrudere velim scriptori, quod illi mentem nunquam venit. Absit etiam, ut id mihi juris in aliena scripta arrogem, quod in mea usurpatum detestarer. Id observemus noluisse hoc loco Theophilum Verbi generationem commonstrare. Id ab instituto sermone alienum, ostensumque supra c. 14. fuerat. Docendum nunc erat, Verbum esse Deum, & eo ministro Deum omnium Patrem uti, esse in loco, & ab hominibus videri. Haec enim veterum plero-

rumque erat doctrina, Deum patrem loco non circumscribi, nec videri, immensum & sine fine esse. Filium vero Verbumque Deum ad homines à Patre ablegari, seque illis conspiciendum praebere. Novatianus de Trinitate c. 25. *Quod si idem Moses ubique introducit Deum patrem immensum atque sine fine, non qui loco cludatur, sed qui omnem locum cludat: nec eum qui in loco sit, sed potius in quo omnis locus sit: omnia continentem & cuncta complexum, ut merito nec descendat, nec adscendat, quoniam ipse omnia continet & implet: & tamen nihilominus introducit Deum descendentem ad turrem, quam aedificabant filii hominum.* Et post pauca: *Neque ergo pater descendit, ut res indicat: neque angelus ista praecepit, ut res probat: superest ergo, ut ille descenderit, de quo Apostolus Paullus; Qui descendit, ipse est, qui adscendit super omnes coelos, ut impleret omnia, hoc est, Dei filius, Dei verbum.* Paria variis locis contra Praxeam urget Tertullianus, quae nunc non exscribo. Ut vero unicuivis idem Theophilum voluisse perspicuum evadat, delineemus tanquam in brevi tabella, quae fusius & verbosius ipse exsecutus est. Docuerat ex Mose Deum in horto fuisse versatum, & cum Adamo verba miscuisse. Hinc cogi posse videbatur: Deum loco posse circumscribi. Quare Deum, omnium Patrem,

ἀχώρητον esse, nullique loco includi affirmat· Secus esse in filio Verboque ejus, per quem omnia condidit. Illum enim, persona Dei indutum, ad Adamum adiisse, atque eum compellasse: Hoc ex Adami apud Mosem verbis liquere: Nec existimandum tamen, eam esse filii Dei conditionem, cujusmodi illorum est, quos fabulatores Deorum filios appellavere. Dei filium Verbumque semper cordi Patris fuisse insitum: adfuisse ei consiliarium priusquam orbis conderetur. Prolatum genitumque id Verbum esse, cum Deus consilium rerum omnium creandarum iniit. Neque Deum tum λόγῳ Verbo fuisse privatum. Adesse eum semper Verbo, eoque per familiariter uti. Haec tradere Divino spiritu afflatos scriptores, praeterque alios Joannem: *In principio erat verbum*, & reliqua. Argumento enim esse, principio Deum fuisse & in ipso Verbum ejus: Addere deinceps, *Et Deus erat verbum*, & cetera. Proinde λόγος Verbum, cum Deus sit, & ex Deo ortus, à Patre rerum omnium, quandocunque illi libitum est, mitti ad aliquem locum, inibique ablegatum videri, & audiri, & loco circumscribi. Haec si Theophili sententia est, uti revera est, haud aliter atque vulgatum legimus, ab eo profectum est: Quod si enim Θεοῦ οὖν ὢν ὁ λόγος, *Dei igitur cum Verbum sit*, correxeris,

xeris, posteriora prioribus perverse apta connexaque erunt, & nusquam ostendet, quod exorsus erat. Λόγον in loco esse posse, cum hominibus verba facere, imo vero Deum esse, probare voluit & debuit. Aberit hoc ab ejus oratione, si verba commutaveris. Sin retineas, salva res erit. Quare, ut verba compendifaciam, liquere putem, male Theophilum sollicitari, pejus vero Joannem, quo teste Verbum esse Deum condocefecit. Pergamus ad Cyprianum & Victorinum Petavionensem, quamquam Theophilo aetate recentiores. Utrique Vir Doctus suum, *Et Dei erat Verbum*, cupidissime ingessit, consilio parum salubri. Cyprianus *L.* II. contra Judaeos c. 6. demonstraturus Christum esse Deum, plura ex Veteri Testamento coacervat loca, in quibus, uti profitetur, Christus Deus cognominatur. Primum vero ex Novo T. *Item*, inquit, *in Evangelio cata Joannem. In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo:* Huic jungit Thomae Apostoli ad Christum verba, & Paulli ex Epistola ad Romanos: *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Si Cyprianus in Joanne offendisset: *Et Dei erat verbum*, parum accommodatum, imo paene inutile fuisset hoc testimonium. Comprobare voluit Jesum in Veteri Novoque T. expresse

Deum

Deum nuncupatum esse, qui titulus hinc longissime abesset: Et si per consequentiam ostendisse velis, ecquae ratio praetermissi ex Apocalypsi loci, *Et dicitur nomen ejus sermo Dei*? par enim illi robur adfuisset. Neque hoc loco consequentias nectit, sed certis sacri codicis testimoniis Christi Jesu Divinitatem constabilit. Constet itaque Cypriano sua scriptio & in primis Joanni, quem auctorem habet. Victorini Petavionensis è fragmento de *Fabrica mundi* haec sunt: *Justus verbo cognomen ei, sic enim dicit pater ejus: Eructatum est cor meum verbum bonum. Joannes Evangelista sic dicit: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Ita edidit, & ad fidem manuscriptorum semel iterumque recognitum esse ait Guil. Caveus. Quid vero in istis merito desiderabitur, praeter primam vocem. Vir Doctus *istius cognomen ei* refingit, sententia non satis accommodata & obscura. Crediderim primitus fuisse *juste* aut *justius*. Resumit Victorinus sermonem, quem supra inchoaverat, de Verbo Domini: *Sic enim cautum est: Verbo Domini coeli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, monetque jure optimo in Psalmo Christum Dei Verbum cognominari, quando in alio cantico & Joanne eodem titulo coho-

 neste-

nectetur. Sed, id si seponas, quid inquam, in illis verbis depravatum esse merito quereris? An & Victorino inculcandum erit: *Et Dei erat verbum?* Petimus non injuria ejus rei caussam. Neque enim in scriptoribus antiquis quidquid nobis libet, etiam licet. Nam quod ab Artemonio decernitur, Latinos è Christianis scriptores ita Victorini tempestate lectitasse, id à vero quam longissime recedere, satis parere arbitrer.

CAP. XV.

Variae inscriptiones explicantur & emendantur. Ostenditur tribuum Romanarum nomina saepe in regiones & homines esse mutata. Viennenses in tribum Voltiniam, Bononienses vero in Lemoniam fuere relati.

IN literatis Romanorum lapidibus observari solet, ut, quod Servilia lege, cujus apud Gruterum Thesauri p. DVI. fragmentum bene magnum superesse volunt, sancitum est, PATREM TRIBVM COGNOMENQVE inscriptum habeant. Et tribus quidem collocari inter patris praenomen filiique, cujus memoria in lapide est dedicata, cognomen, adsuevit: Pauca hujus generis delibabimus, sed, nescio quo fato, male habita. In Camdeni Britannia invenitur:

PRO.

PRO. SALVTE. AVGG. N. N. SEVERI
ET. ANTONINI. ET. GETAE. CAES. P. SAL
TIENVS. P. F. MAECIA. THALAMVS. HADRI
PAEF. LEG. II. AVG. C. VAMPEIANO
ET. LVCILIAN.

Vir elegantis ingenii, cui Getam Britannicum debemus, MAECIAM hic pro MOESIA positam, & ablativum localem esse gentilitium monet: addit insuper nisi pro THALAMVS legi debeat THERMARIVS nescire se, quid velit. Utrumque ego demiror, neque caussam video, quamobrem Thermarius praeferri Thalamo debeat: est enim THALAMVS cognomen in hisce monumentis satis obvium. M. IVLIVS THALAMVS & C. CASSIVS THALAMVS, ne nunc alios memorem, è Grutero notissimi sunt: ut adeo SALTIENVS cognomento fuerit THALAMVS. Patriam hunc Thalamum habuisse Moesiam, & eam in inscriptione indicari non putaverim. Tribus est MAECIA, in qua censitus fuit, è Cicerone, Livio, Festo, aliisque cognitissima. Ejusdem in Lusitano lapide mentio est:

Q. ATTIO. T. F.
MAEC. PRISCO
AED. II. VIR. QVINQ
FLAM. AVG. PONTIF
PAEF. FAB. PRAEF COHOR. I
HISPANORVM. &c.

Novi equidem Resendium in Antiquitatibus Lusitaniae p. 167. alia omnia censuisse, & hoc epigrammate de *Quinto Attio Titi filio Maecenate Prisco* agi arbitratum fuisse. Sed prorsus imprudenter. MAECia & hic tribum indicat, decurtateque scribi adsolet. Sic Thesauri p. CCCLXXI. 2.

Q. VARINIO. Q. F.
MAEC. LAEVIANO. AED.

Taceo nunc, Attios nusquam, quod quidem ego sciam, Maecenatis nomine insigniri, & vix illud postrema sui parte abscissum repraesentari. Atque haec de Maecia tribu. Inserta est epitomae Actorum Philosophicorum H. Jones tom. v. haec inscriptio Eboracensis, explicita à D. Thoresby.

L. DVCCIVS
L. VOL. RVFI
NVS. VIEN
SIGNF. LEG. VIIII.
AN. XXIIX.
H. S. E.

Du-

Dubium est, quid versus secundi literae L. VOL. indicent. Opinantur idem esse ac *Lubens Voluit*. Foret itaque *L. Duccius lubens voluit Rufinus Viennensis signifer legionis* IX. *annorum* XXIIX. *hic situs est*; quod quam sit absurdum, nihil est, ut moneam. Tu intellige tribum VOLtiniam, & restitue, quae neglecta est, literam F.

L. DVCCIVS
L. F. VOL.

Sic plana erunt omnia. Domo fuit Duccius Lucii filius Viennensis. Viennenses civitate donati in tribum Voltiniam fuere transcripti. Ecce tibi è Grutero p. CCCXXII. 9.

SEX. ATTIVS
SEX. F. VOLT.
ATTICVS. VIENN.
OMNIB. HONORIB.
IN PATRIA. SVA. FVNC.
FLAM. PROV. NARB.

Majore metamorphosi ex Pupinia tribu mulierem factam esse video. Addidit Jac. Tollius epistolae suae ad Ampl. Nic. Witsen inscriptionem Coloniae Agrippinae erutam:

C. VETTIENI. C.
PVPINIA. VFRIQVE
TVBICEN.

Non erat sane, cur Vir Doctus, qui Tollii epistolas vulgavit, dubitaret, sitne VFRIQVE semibarbarum aliquod Pupiniae cognomen, an literarum illi acciderint corruptelae. Posterius sine controversia verum est. Vettienio inditum fuit cognomen VRBIQVS, quemadmodum è lapide edidit Aegid. Gelenius. Positum id errore quadratarii est loco VRBICVS, quod plures usurpasse constat. Periit autem temporis injuria, plane ut in lapide Eboracensi, F.

C. VETTIENI. C. F.
PVPINIA.

Significatur adscriptum fuisse Pupiniae tribui C. Vettienium Caji filium tubicinem. Nondum hinc discedere possum. Paucis cenotaphium, olim M. Caelio ad Vetera castra erectum, explicabo.

M. CAELIO. T. F. LEM. BONO
.....O. LEG. XIIX. ANN. LIII.
...CIDIT. BELLO. VARIANO. OSSA
..NFERRE. LICEBIT. P. CAELIVS. T. F.
LEM. FRATER. FECIT.

Ita

Ita è lapide repraesentavit Vir Ampliss. Menso Alting in Notitia Germaniae inferioris. Explicatur: *M. Caelio Titi filio Lemonia bono nomine Primo & Legato Legionis duodevicesimae*, & reliqua. Mihi, ut libere dicam, BONO pro *bono nomine* insolentissimum videtur: Solet Bononiam aut Bononiensem in his monumentis notare: neque dubitem, quin & hic M. Caelium Bononiensem fuisse edoceamur. Relati enim in tribum Lemoniam fuere Bononienses. Passim id lapides literati loquuntur; unius titulum, nuperrime Vindonissae in Helvetiis inventum, apponam.

L. TITENNIVS. L. F.
LEMONIA. VIC
TROINVS BON.
MIL. LEG. XI. C. P. F.
VALERIANA
ANNOR. XXV.
STIPENDIOR. LVI.
H. T. F. C.

Manifestum est BON. Bononiensem fuisse Titennium innuere, plane ut BONO. in superiore inscriptione M. Caelium. In versus secundi principio scriptum olim videtur *LegatO*, idque tantummodo esse restituendum. De reliquis, in re non admodum obscura, dicere nihil attinet.

CAP. XVI.

Eusebii Onomasticum multifariam emendatur. Ramam Saulis urbem recte dici contra virum Doctissimum ostenditur. Fragmentum Aquilae & Symmachi integritati restituitur. Vetus Scholion a Montfauconio publicatum explicatur. Notantur Eusebius & Hieronymus. De Clysmate, urbe Aegypti, quaedam: Hinc lux Eusebio: subscriptio epistolae Aegyptiorum ad Leonem Augustum corrigitur.

Egregia sunt, quae Viri Doctissimi Onomastico Urbium & Locorum Eusebii illustrando protulere: Nec ita tamen eorum curis persanatus est libellus, quin plurima aliorum diligentiae sint relicta: Ego exempli caussa huic capitulo quaedam inseram.

Eusebius.	Hieronymus.
Ἀχσὰφ, καὶ ταύτης τὸν βασιλέα ἐπολέμησεν Ἰησοῦς. Λέγεται δέ τις κώμη Ἐξάδους.	*Achsaph, & contra hujus regem Jesus pugnasse describitur, appellaturque hodie villula Chasalus.*

Vitium est in villae nomine: In Eusebio, ut Hieronymi versio manifestat, Χισαλοῦς scribi debet, aut Χασαλοῦς. Confirmatur haec suspicio Hieronymi auctoritate atque Eusebii, alio loco scribentis: Χασελοῦς ὁ Θαβὼρ, ὁρίων Ζα-

ζαβελλὼν κεῖται καὶ ἀνατολῶν Χισαλώθ, ipsa ea respiciens, de quibus agimus.

Eusebius.	Hieronymus.
Ἀϊλὼμ - - παράκειται ἡ αὐτῇ Γαβαὰ καὶ Ῥαμὰ, πόλις Σαοὺλ.	*Ajalon - - distans haud procul à Gaba, & Rama, urbibus Saul.*

Fuit hic olim ΑΙΑΛΩΝ: duarum literarum similitudo fraudi fuit librario, hinc ΑΙΛΩΜ formanti: sed hoc leve est. Notat Cl. Joan. Clericus, memoriam hic Eusebium fefellisse, solam enim Gabaam dici Saulis urbem. Id si verum est, oportet & infra erraverit in Ῥαμὰ, ubi gemina prorsus leguntur. Sed cave Viri Doctissimi sententiae accedas: Nullum hic Eusebii peccatum, secutus ille est Graecos LXX. Interpretes, qui Esajae x, 29. φόβος λήψεται Ῥαμὰ, πόλιν Σαοὺλ.

Eusebius.	Hieronymus.
Ἀλαὴ, ὄρος. Ἀκύλας μηορίζοντας τοὺς ὄρους λέγει αὐτούς.	*Ahalac, mons, quem Aquila interpretatur, dividentem montem. & Symmachus levem montem, id est, lympidum sive lubricum.*

Sic edidit Martianaeus, addita nota: *Corruptissimam hanc MS. codicis lectionem hoc modo Bonfrerius restituit:* Ἀκύλας, ὁρίζον τὸ ὄρος λέγει αὐτό. Ego vero vereor, ut verum per-

videtit Bonfrerius, neque enim ejus conjectura aut Graecis, aut Hieronymi versioni respondet. Respiciuntur haec Josuae XI. 17. מן ההר החלק. *a monte glabro*. LXX. Interpretes Hebraeam ibi vocem retinuerunt: Vulgo editiones eorum praeferunt, ἀπὸ ὄρους Χελχά: Aldus è codice suo vulgavit Ἄλακ, quomodo scribi in Eusebio debet; nam η & κ ejus librarii passim invicem confuderunt. Ex Alexandrino codice pro ΑΛΑΚ adfertur ΔΑΛΚ, errantis exscriptoris vitium. Ceteri interpretes vocabulum Hebraeum verterunt, &, quod mireris, Aquilam Syrus expressit: ܡܢ ܛܘܪܐ ܕܦܠܓ, *à monte, qui dividit.* Arabs vero Symmachum: من الجبل الاملس, *à monte levi*. Aquilae verba, quae Eusebius servavit, scribenda sunt: μερίζοντος τοῦ ὄρους. In reliquis λέγει αὐτοὺς Symmachi fragmentum latet: Omnia ita refingenda putem.

Ἀλὰκ ἔρος. Ἀκύλας. μερίζοντος τοῦ ὄρους. Σ. λείου τοῦ ὄρους.

Haec si componantur cum Hieronymianis vera videbuntur, tantoque magis, quod ex Drusii fragmentis certa & testata res sit, Symmachum hunc locum ita vertisse. Neque opus esse crediderim, ut ostendatur, corrumpi ita ea Symmachi potuisse, cum citra dubium sit nihil

hil vitiosius esse codicibus, è quibus Eusebii Onomasticum excerptum est.

Eusebius.	Hieronymus.
Ἀρωννιείμ, ἐν ὄρεσι τῆς Μωαβίτιδος. Καὶ νῦν ἐστι Ἀιγαλλεὶμ κώμη πρὸς νότον Ἀρεοπόλεως διεστῶσα σημείοις η.	*Aroniim, juxta Esajam viae nomen est in visione contra Moab, pro quo Aquila, Oronaim posuit, & Symmachus, Orannim.*

Ita est in Bonfrerii, Clericique editione, prorsus male. Graeca Eusebii non conveniunt illis Hieronymi: Poni è regione debuissent haec ejusdem: *Agallim, & hujus meminit Esaias in visione contra Moab. Est autem nunc Aegallim vicus ad australem partem Areopoleos, distans ab ea millibus octo*, & mutari Ἀρωννιείμ in Ἀγαλλείμ. Pessime praeterea scriptum est ἐν ὄρεσι, *in montibus*, vertente Bonfrerio, loco ἐν ὁράσει, *in visione*, ut e MS. Martianaeus vulgavit, qui tamen τῆς retinuit, utique in τῇ convertendum. Latina Hieronymi referri ad haec Eusebii debent.

Ἀρωνιείμ, ὁδὸς. Ἠσαΐας Ἀιγαλαίμ.

quae lacera quidem sunt, sed facile ex Hieronymo tali modo restituenda:

Ἀρω-

Ἀρωνιεὶμ, ὁδός. Ἠσαΐας ἐν ὁράσει τῆ κατὰ Μωαβίτιδος. Α. Ὠρωναΐμ. Σ. Ὠρωνιείμ.

Quod Eusebii Ἀιρωναΐμ neglexerim, motus sum Hieronymi auctoritate, & Curterii, qui in Procopio suo id vulgavit è veteri libro.

Eusebius.	Hieronymus.
Ἀσταρὼθ καρναΐν - - - Καί εἰσιν εἰς ἔτι νῦν δύο κῶμαι ἐπὶ τῆς Βαταναίας, τῆς καὶ Βαπλυίας, ἀλλήλων διεστῶσαι σημείοις θ'. μεταξὺ Ἀδαρῶν καὶ Ἀβίλης πόλεως.	*Astaroth Carnaim - - - Sunt hodieque duo castella in Batanea hoc vocabulo novem inter se millibus separata inter Adaram & Abilam civitates.*

Liquet ex Hieronymo, τῆς καὶ Βαταλυίας, quae sine dubio vitiosa sunt, illum aut sprevisse, aut, quod vero mihi videtur simillimum, in Eusebio suo non invenisse. Cl Clericus τῆς καὶ Βασανίτιδος, *quae & Basanitis*, correxit, qua ratione oratio satis congruit, tametsi literarum ductus aliud expostulent. Ego vitio scripturae τῆς καὶ Βαταλυίας ex τῶ καλυμέναι nata opiner. Fundus mihi Hieronymus, qui *hoc vocabulo* habet, vetusque scholion est, a R. Montfauconio ad Genes. xiv. è schedis Combefisianis publicatum, nec tamen, uti oportuit, habitam: Quod versu ejus capitis sexto in Graecis legis ἕως τῆς τερεβίνθου, id scholiastes expli-

plicuit: Ἡ πόλις αὕτη τοῦ Ἰὼβ ἐπὶ τῆς Βαταναίας. οὕτω καλούμεναι δύο κῶμαι. ἀπέχουσι δὲ ἀλλήλων σημείοις θ΄. μεταξὺ Ἀδάρων καὶ Ἀμιδης πόλεως. Vertuntur. *Haec est urbs Jobi ad Bataneam. Sic vocantur duo pagi, qui alter ab altero distant novem signis* 1. *milliaribus, inter Adara & Amidam urbem.* Additur à viro Reverendo: *Hoc scholion videtur Origenis aut Eusebii Caesariensis esse.* Recte vero. Eusebio maximam partem deberi manifestum est, quamquam perverse duo scholia in unum sunt conflata. Distinguendum fuerat post Ἰὼβ, nam quae subjiciuntur, ad versum praecedentem, qui Astaroth Carnaim comminimit, pertinent. Cetera, modo Ἀμίδης in Ἀβίλης mutaveris, omnia fere ex Eusebio sunt deprompta, ut adeo de conjecturae veritate dubitandum esse non videatur.

Eusebius.	Hieronymus.
Ἀνσεμά, φυλῆς Ἰούδα. Κώμη ἐστὶ καὶ αὐτὴ ἐν τῷ Δαρωμᾷ ἐν ὁρίοις Ἀνεών.	*Astemoe, in tribu Juda, vicus & ipse Judaeorum in Daroma, ad Aquilonem loci Anem.*

Eusebio hic reddendum est ἐν βορείοις, *ad Aquilonem*, uti est in Hieronymo. Frequentissime ad has voces offensum est: Sic in Ἀταρώθ. Καὶ νῦν ἐστι κώμη Ἀταρὼθ ἐν ὁρίοις Σεβα-

σῆς. Hieronymus: *Nunc vicus ad Aquilonem Sebastae.* & Ἐφρὼν, atque alibi.

Eusebius.	Hieronymus.
Ἀζὼρ, ὅριον υἱῶν Ἀμμὼν τῆς Φιλαδελφίας, διείργον αὐτήν τε καὶ τὴν τῶν Ἀμορραίων χώραν.	*Azor, sive Jazer, terminus urbis Ammon, quae nunc Philadelphia dicitur, dividens eam & Amorrhaeorum regionem.*

Deturpata & haec Eusebii sunt, neque integra satis. Martianaeus υἱῶν Ἀμμᾶν dedit, quo ad veram Eusebii scripturam facile ducemur. Amman ea est, quae deinde Philadelphia fuit dicta, urbs Arabiae nobilis: Sic ipse alibi: Ἀμμᾶν, ἡ νῦν Φιλαδελφία, πόλις ἐπίσημος τῆς Ἀραβίας. Restituamus itaque:

Ἀζὼρ ὅριον Ἀμμᾶν, τῆς νῦν Φιλαδελφίας.

Hieronymus hujus emendationis fidejussor erit, ut è Latinis cognosces.

Eusebius.	Hieronymus.
Βασὰν, Ὢγ βασιλέως Βασὰν, ἣν Ὀνομάχαν ἐπωνόμασεν Ἀβωθιαείρ.	*Basan, super qua scribitur: Et Og regem Basan: Hanc autem Machaati cognominavit Avothiair.*

Neque haec bene se habent: Ὀνομάχαν nihili

voca-

vocabulum ortum est ex ὁ Μαχαθὶ *Machati*. Error praeterea his gravis inest: *Avoth Jair* nomen habent à Manassis filio Jair. Sed Eusebius cum Deutron. III. 14. legeret: Καὶ Μαχαθὶ ἐπωνόμασεν αὐτὰς ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ τὴν Βασὰν Αβωθιαΐρ. Machati, quod gentis nomen est, ceteris conjunxit, opinatusque est, à Machati id nominis esse ortum, satis profecto imprudenter.

Eusebius.	Hieronymus.
Βεελσεφών, πρὸς τῇ ἐρήμῳ, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἐξιόντων ἐξ Αἰγύπτου διὰ τοῦ κλύσματος παρὰ τὴν θάλασσαν.	*Beelsefon in deserto castra filiorum Israel, juxta mare rubrum egredientibus Aegyptum.*

Praetermisit, ut vides, Hieronymus illa Eusebii διὰ τοῦ κλύσματος. Viri Docti, qui Eusebium tractarunt, in varia studia eorum caussa scinduntur. Bonfrerius ab Hieronymo recte neglecta esse censet, utpote sensum turbantia. Martianaeus nescire se fatetur, significent ne, in eum locum confluxisse Israelitas, quasi aquarum multarum inundationem; Clericus aestuarium maris rubri intelligit, quod quia κεκλυσμένον sive inundatum fuit, κλύσμα appelletur. Non longe hinc recessit H. Relandus *L.* II. Palaestinae suae p. 472. Putat enim indicari, Israelitas

profectos esse per sinum illum maris, qui nomine proprio *κλύσμα* vocatur; idque ostendit ex Philostorgio *L.* III. Hist. Eccles. c. I. Haec illi. Recte quidem & Joan. Clericus & H. Relandus, viri clarissimi, retinendas relinquendasque Eusebio esse voces διὰ τοῦ κλύσματος docuerunt: Nollem tamen hic de mari rubro, sive sinu maris Arabici cogitassent. Recusant hanc sententiam Eusebii verba παρὰ τὴν θαλάσσαν, *juxta mare rubrum*: Per Clysma incedebant Israelitae: nondum ipsum mare. Ut paucis absolvam: Clysma locus, imo vero urbs erat in litore Aegyptiaco sinus Arabici. Notum ejus nomen est ex Ptolemaeo, Antonini Itinerario, Athanasio, pluribusque aliis. Episcopus ejus Poemen in jure Graeco-Romano memoratur, & in epistola Aegyptiorum ad Leonem Augustum; ubi tamen satis depravate *Poemen Episcopus Elesmatis* appellatur. Propter hoc vero Clysma, perque id Israelitae credebantur jam jam ex Aegypto egressuri perrexisse in sinum Arabicum: Hoc indicat Eusebius; Hoc post eum censuere alii, ut Cosmas Indopleustes: Observavit is *L.* v. p. 194. Judaeos ad Clysma mare, quod rubrum vocant, esse ingressos. Ἔστι δὲ αὐτὸς ὁ τόπος ἐν τῷ λεγομένῳ κλύσματι, ἀπερχομένων δεξιᾷ ἐπὶ τὸ ὄρος. *Est autem locus ille in Clysmate sic dicto, qua ad dextram*

tram in montem pergitur: Addit inibi veſtigia rotarum & curruum Aegyptiorum, quos olim mare abſorpſit, conſpici, quod quamvis probaturus nemini ſit, fidem tamen dictis ſuperioribus facit.

Euſebius.	Hieronymus.
Βηρσαβεὲ - - ἑρμηνεύεται Βηρσαβεὲ ἀπὸ τῦ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ πρὸς τῦ Ἀβιμελὲχ ὁρκωμοσίας.	*Berſabe - - Interpretatur vero Berſabe puteus juramenti, eo quod Abraham & Iſaac foedus cum Abimelech ſociaverunt jurantes.*

Non dubium eſt, quin aliqua hinc exciderint: Hiat Euſebii oratio, neque eſt, quorſum ἑρμηνεύεται referas. Hieronymus vertens *interpretatur puteus juramenti* indicio eſt, fuiſſe olim Euſebianis inſertum ἑρμηνεύεται Φρέαρ ὅρκυ, ut eſt Geneſ. XXVI. 33. aut, quod Euſebio placuit, Φρέαρ ὁρκισμῦ.

Euſebius.	Hieronymus.
Φρέαρ ὁρκισμῦ, ὃ ὤρυξεν Ἀβραὰμ, ἔνθα ὤμοσεν	*Puteus juramenti, quem fodit Abraham, id eſt, Berſabe.*

Atque haec hactenus. Plura fortaſſe alias.

CAP. XVII.

Non intercidisse Orphei Georgica ostenditur: supersunt in carmine Maximi Philosophi περὶ καταρχῶν. Quaeritur rectene Tzetzes Orpheo id opusculum contribuerit? Docetur carminis auctorem non Orpheo tantum, sed Apollonio Rhodio atque Arato recentiorem esse. Varia ejus carminis loca sanitati pristinae redduntur. Phayllus, qui stadio vicit, quo vixerit tempore?

SI dolorem, quem Viri Doctissimi ex interitu Georgicorum, sive Ἔργων καὶ Ἡμερῶν, Orphei ceperunt, hoc capite abstergam, ecquid erit pretii? Scripsisse hoc titulo libros Orpheum, auctorem damus Joan. Tzetzen in Praefatione commentarii in Hesiodum: Ἔστι δὲ πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν τοῦ μεγάλου Ὀρφέως Ἔργων καὶ Ἡμερῶν. Ὧν Ἔργων Ὀρφέως, ἤτοι τοῦ περὶ Γεωργίας, οὕτως ἐστὶν ἡ ἀρχή.

> Εἰ δὲ γεωπονίας σε φιλομβρότου ἵμερος αἱρεῖ,
> Καί τ' ἐπὶ χρυσείης κ. τ. λ.

& Chiliad. IV. Hist. 128.

> Μέμνηται ταύτης καὶ Ὀρφεὺς ἐν Γεωργίᾳ γράφων.
> Ἀφραίη κούρη δὲ τίλλε πρὸς ἅπαντα φέρειν
> Σπέρματα καὶ δὲ φυτοῖσιν κ. τ. λ.

Jam

Jam si ostendero superesse id opus, unde decerpta haec, & quae passim alibi citat, fragmenta sunt, vincam facile, non perisse cum tot aliis Orphei Georgica: Et ne diu tuam exspectationem suspendam, recognosce mecum Maximi Philosophi περὶ καταρχῶν carmen, à Praestantissimo Alb. Fabricio publicatum, & Bibliothecae Graecae tom. VIII. insertum: id Orphei esse, si Tzetzae arbitratu sit standum, manifestum fiet. Nam quos in Hesiodeo commentario ex Orphei Ἔργοις citavit decem versus, quique luculenti Illustri Scaligero ad Manilium dicuntur, eos in hujus carminis capite, cui περὶ Γεωργίας inscriptum est, invenies ỳſ. 455.

> Εἰ δὲ γεωπονίης σε φιλομβρότε ἵμερος αἱρεῖ,
> Καί τ' ἐπὶ χρυσείης γενεῆς ἐντύνεαι ἔργα,
> Γαῖαν ἐπὶ ζείδωρον ἄγοις εὐκαμπέας κ. τ. λ.

Qui vero Chiliad. IV. Hist. 128. intexti sunt novem, eosdem prorsus videbis carm. ỳſ. 488.

> Ἀσταίη κούρη δὲ πέλει πρὸς ἅπαντα φέρεσθαι
> Σπέρματα καὶ δὲ φυτοῖσιν ἐναίσιμος, ἠδ' ἐνὶ βοτρύοισιν
> Βάλλειν ἔρνεα πάντα, κ. λ.

Ne vero de ceteris dubitetur, age inquiramus in reliqua fragmenta: In Maximi, ut nunc

fert

fert index, opusculo ѱſ. 422. de Iphiclo leges,

> Οὐδ' ἦν Ἰφίκλοιο θεώπρος αὐγάζοιο,
> Ὅς τε καὶ ἀνθερίκεσσιν ἐπέτρεχεν, οὐδὲ τι καρπὸν
> Σίνετ' ἀτάσθαλα γυῖα φέρων ἐπὶ λήιον αὐον.

Haec quin Orphei sint, ambigere nos vetat Tzetzes Chiliad. II. Hist. 42.

> Τῆς ἱστορίας μέμνηται ταύτης Ὀρφεὺς τοῦ λέγων,
> Οὐδ' ἦν Ἰφίκλοιο θεώπρος αὐγάζοιο,
> Ὅς τε καὶ ἀνθερίκεσσι. κ. λ.

Idem ad Lycophronis ѱſ. 82. haec notat: Ὥς που φησὶν ἐν ταῖς Δωδεκαετηρίσιν Ὀρφεὺς, Βάλλειν ἔρνεά τε πάντα τότε δρυὸς ἄκρα λέγεται. Nescio an memoriae vitio, an quod Δωδεκαετηρὶς partem faceret Georgicorum. Novi Ill. Scaligerum in Isagogicis observasse, hanc Dodecaeteridem fuisse Genethliacam: sed id non officiet suspicioni: liquidum enim est in carmine, de quo agitur, multa ejusdem esse farinae: Certe quod Tzetzes ex Dodecaeteride produxit, id versu 490. sed paullo rectius & numeris suis alligatum, reperies:

> Βάλλειν ἔρνεα πάντα, τότε δρυὸς ἄκρα λέγονται.

Denique Chiliad. VII. Histor. 91. ex Orpheo adfert:

Νῦν

Νῦν δ' ἄγε μοι κούρη Λειβηθριὰς ἔννεπε Μοῦσα.

& ad Lycophronem ꝟſ. 410., quanquam ad ejuſdem poetae ꝟſ. 275. ſic Orpheum ſcripſiſſe ait:

Νῦν δ' ἄγε μοι κούρη Πιμπληϊὰς ἔννεπε Μοῦσα,

& recte: prorſus enim eo modo praefert Maximi, ut proſcripſerunt, carmen ꝟſ. 140. Haec vero omnia ſi Orphei ſint, ſicuti pluribus perſuaſit Tzetzes, non ambigendum videtur, quin totum carmen ejuſdem ſit habendum. Nam Maximum, cui nunc tribuitur, tot ex Orpho verſus mutuos ſumpſiſſe, &, ne litera quidem mutata, pro ſuis uſurpaſſe, quis credat? Id dubii reſtat, tutone hic in fide Tzetzae acquieſcere poſſimus? Notum eſt Grammatici illius ingenium & inſolentiſſima jactantia: noti etiam errores, in quos ſe imprudens induit. Ad haec accedit, vix quemquam eſſe, qui praeter eum Georgicorum Orphei meminerit. Togatorum doctiſſimus Varro, &, qui eum ſecutus eſt, Columella, longum eorum, qui de re ruſtica ſcripſerunt, nectunt catalogum: Nihil illic de Orpheo: *Ii, quos dixi*, inquit Varro *L.* 1. R. R. c. 1., *omnes ſoluta oratione ſcripſerunt: eaſdem res etiam quidam verſibus, ut Heſiodus Aſcraeus, Menecrates Epheſius.* Illone praeteriiſſet ce-

 leber-

leberrimi poetae Georgica, ſi quae tum fuiſſent? Taceo nunc, Plinium *L.* XVIII. N. Hiſt. c. 25. prodidiſſe, Heſiodum principem omnium de agricultura praecepiſſe. Haec ſola; nam de dicendi genere nihil dico, efficient, ut antiquiſſimo è Thracia Orpheo, cujus nomen plurimis libellis, de quibus ne ſomnians quidem cogitavit, praeſcriptum eſt, abjudicentur: Ill. Scaliger Dodecaeteridos verum fuiſſe auctorem Onomacritum arbitratus eſt: Si, quod ſuſpicatus ſum, & Dodecaeteridos & Georgicorum idem fuerit parens, utraque ſatis eſſe vetuſta apparebit: Suidas inter opera Orphei Crotoniatae, aequalis Piſiſtrati, recenſet Δεκαετηρίαν. Lambecius, Fabricio non obloquente, Δωδεκαετηρίαν inde facit, intelligitque Dodecaeteridem, de qua diſputamus: Quod ſi is Georgicorum quoque ſcriptor fuerit, conſtituta eorum ad definita erit aetas. At enim quo minus hoc verum videatur, non pauca, quae in Georgicis illis reperiuntur, obſunt. Legimus ꝟſ. 425:

Ὀυ προφόροι θεράπων ὁλοφώϊος, ἀλλὰ τάχιστα
Εὕροις, εἰ καὶ γοῦνα θοώτερα καὶ πόδας ἴσχοι
Κουφοτέρους Λάδαο, καὶ ὠκυδρόμοιο Φαΰλλου.

Sic ſcribo, perverſe enim in editis eſt Φαάλλου. Latine dixeris:

Non

Non effugiet malus servus: sed quam primum
Reprehendes, quantumvis poplites pedesque velocius moveat,
Quam Ladas, & citissime currens Phayllus.

Ex his citra dubium est, scriptorem hunc Lada & Phayllo fuisse recentiorem. Ladae aetas non adeo explorata est: Phayllum vero novimus circa Xerxis expeditionem Crotone floruisse, praepositumque navi fuisse, quam sui cives Graecis auxilio miserunt, ex Pausania in Phocicis c. 9. Quare infra Xerxem aliquot annis scriptor erit demittendus. Quid infra Xerxem dico? Vixit post Apollonium Rhodium & Aratum. Hoc persuadent plurima ex illorum scriptis adumbrata: uno exemplo, sed illustri, defungi possem. De Orithyia ỷs. 417. ait.

Οὓς ὑποκυσαμένη ῥαδινὴ τέκεν Ὠρείθυια,
Ὁππότε μιν χέρσον ἀγχὸν ἐπ' Ἰλισσοῖο ῥοῇσιν
Ἱσταμένην Βορέης ἀνερείψατο, τῆλε δὲ γαίης
Ἀτθίδος ἐν νεφέεσσι μεταχρόνιον φορέεσκεν,
Μέσφ' ὅτ' ἐπὶ Θρήκης χειμωδίας ἷξεν ἐναύλους

Mutavi, quod editionem insederat satis vitiosum, ἀνεράψατο. Audi nunc Apollonium *L.* 1. Argon. 212.

Οὕς ποτ' Ἐρεχθηὶς Βορέῃ τέκεν Ὠρείθυια
Ἐσχατιῇ Θρήκης δυσχειμέρου· ἔνθ' ἄρα τήνγε
Θρηΐκιος Βορέης ἀνερείψατο Κεκροπίηθεν,
Ἰλισσοῦ προπάροιθε χορῷ ἔνι δινεύουσαν.

Imitatio hic est aperta. Ne vero haereas, sitne hic an ille imitator, expende mecum sedulo haec poetae nostri ỳſ. 410.

Οὐκ ἐκίχης, οὐδ' εἰ μὲν ἔχεις πόδας Εὐφήμοιο
Εὐρωπηϊάδα, τὸ ἐν πολυηχεῖ πόντῳ
Ὦκα θέειν ἐνέπουσιν ἐδῶ πεφορημένον ὑγρῇ.

Vertit Vir Doctus:

Nihil obtinebis, etiamsi pedes habeas celebris
Europam quae abstulit tauri, quem in resonante mari
Celeriter cucurrisse ajunt humida cum ferretur via.

quam bene non dixero: Tu accipe de Euphemo, Europae filio, & compone omnia cum his Apollonii *L.* 1. 180. ubi de eodem:

Τόν ῥα Ποσειδάωνι ποδωκηέστατον ἄλλων
Εὐρώπη Τιτυοῖο μεγασθενέος τέκε κούρη.
Κεῖνος ἀνὴρ καὶ πόντου ἐπὶ γλαυκοῖο θέεσκεν
Οἴδματος, οὐδὲ θοοὺς βάπτεν πόδας, ἀλλ' ὅσον ἄκροις
Ἴχνεσι τεγγόμενος διερῇ πεφόρητο κελεύθῳ.

Ha-

Habes in his, quod alter dictum fuisse ajebat, & iisdem paene verbis, ut de imitatione nihil dubii reliquum esse queat. Eandem videbis in sequentibus ỷſ. 25.

Εἰ δὲ τοξευτῆρος ἐλαφροῦ φαίδιμον ἄστρον.

Sumptum est ex Arati Phaenom. ỷſ. 506.

ἐν καὶ τόξον ἐλαφροῦ τοξευτῆρος.

Nunc quidem ἀφανοῦς ibi legitur: Sed quod dedimus, olim inibi fuisse, certissimus testis est Hipparchus L. 1. p. 177. Plura non addam, cum passim sint obvia. Neque hic tamen subsistendum reor: Varronis & Columellae non videtur exsuperasse aetatem: uterque studiose rei rusticae auctores, & utriusque quidem linguae, ut diximus, recenset: Nihil tamen de hoc poemate tradunt. Quod si praeterea considero, neminem Grammaticum, si Tzetzen seponas, ex opusculo fragmenta attulisse, parum abest, quin Maximo Philosopho, cui scripti libri tribuunt, carmen relinquendum esse censeam. Convenit egregie viri ingenio, quod vanum & nugis ejusmodi deditum fuisse traditur. Respondet argumentum seculi ejus studiis: Oblectabant enim se hisce tum ineptiis: Et quid mirum?

Πολλοί γε Μάξιμοί τε καὶ παράφρονες,

ut est in Jambis Gregorii Nazianzeni. Nam quid eodem fere tempore molitus sit Jul. Firmicus Maternus notissimum est. Consentit denique Suidas, qui inter Maximi scripta fuisse refert περὶ Καταρχῶν. Joan. Tzetzae auctoritatem si his omnibus opponas, haud scio an infirmior sit futura, quam ut ea subvertat: nunquam certe obtinebit, ut Orphei, antiquissimi vatis, censeantur. Fieri potest, ut ipse ex conjectura carmini Orpheum inscripserit, & cum ejus pars non inelegans περὶ Γεωργίας agat, huncque titulum praeferat, Orphei Georgicon deinceps in scriptis suis meminerit: sin vero hoc improbabile putaveris, fatebimur Orphei nomen ostentasse codicem, quo usus est Tzetzes: Nec dubium tamen nobis erit, quin ipse Ἔργα καὶ Ἡμέρας appellaverit, quae περὶ Γεωργίας agebant: Hoc non obscure indicatur in commentario in Hesiodum, & Chiliad. IV. ubi simpliciter περὶ Γεωργίας citat. Videtur quidem Ἡμερῶν Orphei memoria superesse apud Eustathium Odyss. Σ. p. 661. ὁποῖον δὲ καὶ τὸ τοῦ Ὀρφέως καὶ Ἡσιόδου περὶ Ἡμερῶν. At cujusmodi hoc fuerit opus, & an nostrum respexerit, plane est obscurum: Fortasse Astrologica, quae sub Orphei nomine circumferebantur, in animo habuit, quorum bene magnum fragmentum Florilegio est additum, de futuro terrae motu

ex

ex astrorum positura multa tradens. Si tamen nostrum innuisse velis, id solum impetrabis, ut Thessalonicensis Episcopus cum Tzetze, aequali suo, paria senserit: non vero Orpheum eo indice singularem aliquem librum scripsisse. Utcunque judicetur, neque enim praefracte pugnavero, cessurus etiam laeto animo certiora docentibus, hoc me putem liquido ostendisse, non omnino intercidisse Orphei Georgica, à Joan. Tzetze laudata, Virisque Doctissimis ab eodem approbata.

CAP. XVIII.

Inquiritur utrum Tertullianus in Evangelio Joannis, Et Dei erat verbum, an Et Deus erat verbum invenerit? Posterius verum esse probatur. Tertullianus variis locis explicatur & defenditur.

INter Latinos, qui è Joannis Evangelio *Et Dei erat verbum* produxerint, principem locum meritus est apud Artemonium Tertullianus. Probe noverat Vir Doctus in locis bene multis Tertulliani scripta nunc intextum ostentare *Et Deus erat verbum:* nec se tamen his cohiberi passus est, quo minus aliud amplexaretur: ea omnia falsariis, bipedum nequissimis, qui nec à Sacris, neque profanis scriptoribus corruptrices manus abstinuerunt,

ac-

accepta esse ferenda censet: ne vero accusatorie & maligne dictum esse opineris, impactum illis crimen longa oratione stabilire adnititur. Operae erit, huic controversiae paulisper immorari. Initium faciemus cum c. 15. adversus Praxeam, ad alia deinde transituri: *Denique inspiciamus quem Apostoli viderint. Quod vidimus, inquit Joannes, quod audivimus, oculis nostris vidimus, & manus nostrae contrectaverunt, de sermone vitae. Sermo enim vitae caro factus, & visus, & contrectatus, quia caro, qui ante carnem sermo tantum in primordio apud Deum Patrem, non Pater apud sermonem: Nam etsi Deus sermo, sed apud Deum, quia ex Deo Deus, quia cum Patre apud Patrem: Et vidimus gloriam ejus, tanquam unigeniti à Patre, utique filii, scilicet visibilis, glorificati à Patre invisibili: Et ideo quoniam sermonem Dei Deum dixerat, ne adjuvaret adversariorum praesumptionem, quasi Patrem ipsum vidisset, ad distinguendum inter invisibilem Patrem, & visibilem filium, superdicit ex abundanti: Deum nemo vidit unquam. Quem Deum? Sermonem? Atquin, vidimus & audivimus & contrectavimus, de sermone vitae praedictum est*, & reliqua. Apparet, Tertullianum heic varia Joannis cum ex Evangelio, tum ex epistolis testimonia respicere, ac verbo tenus paene exprimere. Jam si in Evangelii initio ha-

habuisset *Et Dei erat verbum*, potuissetne indidem proferre *Deus sermo*, *sed apud Deum*? Licuissetne illi palam profiteri *& ideo quoniam sermonem Dei, Deum dixerat*? Ubi enim Joannes id dixit? In Evangelio? Nusquam inibi Tertulliani aevo lectitabatur: ubi vero tandem? Profecto fallacissimus disputatorum fuerit Tertullianus, seque Praxeae praebuerit deridendum, si aliter atque nunc exstat, in Joanne invenerit: proclive erat ad observandum eum fucum facere: Ex Joanne profert *Deus sermo*, *sed apud Deum*: Evangelistam sermonem Deum appellasse affirmat. Et tamen nusquam in ejus scriptis id pictum, aut scriptum fuisse decernitur. Exspectaveram ut hunc Tertulliani locum falsariorum manus fuisse passum constitueretur: at ea illi claritas & vis inest, ut hoc decreto supersederint. Vide vero, quid excipiatur. Negatur hinc liquere in Joannei Evangelii initio fuisse *Et Deus erat verbum*: quin si literam stricte premas, fatendum esse *Et Deus erat sermo Dei*, olim ibi fuisse scriptum: Sequamur id exemplum, ut quam leve sit appareat: Producit ex Joanne Tertullianus *sermo enim vitae caro factus est*. Ergo, si quid veri exceptioni inest, in Evangelio invenit *sermo vitae caro factus est*, non vero, quod nunc legimus, *sermo caro factus est*. At

enim, uti falsum hoc est, repetit enim tantummodo e superioribus voculam connexionis caussa, ita quod opponitur non magni valoris videtur: Equidem voluissem, Vir Doctus serio ad animum revocasset: *Etsi Deus sermo, sed apud Deum:* hoc enim plane Joanneum est: perpendissetque sermonem, quem Deum à Joanne dictum esse Tertullianus asseverat, Dei Patris esse sermonem, & pervidisset haud dubie, jure optimo eum scribere potuisse: *Et ideo quoniam sermonem Dei, Deum dixerat*, nec ullum ejuscemodi cavillationi locum relinqui. Sed aliam consideremus: Notatur è cap. 27. Christum *sermonem Dei dictum* esse: En ipsa verba: *Sed haec injectio eorum ex praetractatis jam retusa est, quod sermo Dei, vel Spiritus Dei, & virtus altissimi dictus sit, quem Patrem faciunt. Non ipsae sunt, cujus dicuntur, sed ex ipso & ipsius.* Ergo additur, quemadmodum *Spiritus Dei* & *virtus altissimi* erant in codice Tertulliani expressa scripturae sacrae verba, sic & *sermo Dei.* Quid tum porro? Habes titulum *sermonis Dei* in Apocalypsi: habeas ergo oportet, quod adeo configitur, in Joannis Evangelio *Et Deus erat verbum.* Nam Tertullianum *sermonem Dei* Christum in Evangelio esse dictum significare, quo teste probabitur? Et ut vere dicam, non profitetur Tertullianus cap. 27.

ser-

sermonem Dei ita in sacris nostris appellari; sed secutus adversariorum suorum argumentationem, *Spiritum Dei*, & *virtutem altissimi.* Presserat antea Praxeae sectatores verbis Angeli ex Luca: *Spiritus Dei superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit te.* Illi vero ad haec, *nempe*, inquiunt, *filius Dei Deus est, & virtus altissimi altissimus est.* Hoc eorum interpretamentum toto c. 26. convellitur ostenditurque, virtutem altissimi non esse ipsum altissimum, nec Spiritum Dei ipsum Deum, etsi Spiritus Dei Deus est. Perspicis ergo Praxeanae factionis populares sermonem Dei in Lucae Evangelio Spiritum Dei & virtutem altissimi cognominatum esse pertendisse. Haec est *injectio*, quam à se retusam esse Tertullianus ait. Agnoscis, puto, praeterea criminationes à viro Docto intentatas nihil officere Afro scriptori, atque adeo & habuisse & legisse eum in Joanne *Et Deus erat verbum.* Agnosces vero tanto promptius, si superioribus haec ab eo adjuncta pensitaveris: *Atquin vidimus, & audivimus, & contrectavimus, de sermone vitae praeditum est. Sed quem Deum? scilicet Patrem, apud quem Deus erat sermo, unigenitus scilicet filius, qui est in sinu Patris, ipse disseruit: ipse & auditus, & visus, & ne phantasma crederetur, etiam contrectatus.* Sic est in B. Rhenani editione: Neque erat,

ut eam improbarent scripturam, invisibilem & visibilem Deum, plane ex Tertulliani mente, enarrantem: Ne dicam mollius decurrere hanc orationem, & vel ex ea caussa alteram *sed quem Deum? scilicet Patrem, apud quem Deum erat sermo* illi postponi debere. Pergit Tertullianus eodem c. 15. *Hunc & Paullus conspexit, nec tamen Patrem vidit. Nonne, inquit, vidi Jesum? Christum autem & ipse Deum cognominavit: Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in aevum. Ostendit & ipse invisibilem Dei filium, id est sermonem Dei, quia qui caro factus est, Christus dictus est:* Quae liquido comprobant, in Joanne fuisse, quod diximus: nam cum de Paullo tradit *Christum autem & ipse Deum cognominavit*, sine ulla dubitatione respicit Joannem, & quae de eo fuerat professus: *Et ideo quoniam sermonem Dei, Deum dixerat.* Animadvertit & id Artemonius, eaque propter admonet, aliud esse dicere, aliud cognominare: Dici aliquem per consequentiam posse Deum, non vero, nisi expressis verbis, cognominari: Quasi vero duo illa verba passim ejusdem non essent significationis. Ipse Vir Doctus ex c. 27. *Quod sermo Dei, vel Spiritus Dei & virtus altissimi dictus sit*, Christum totidem verbis, uti Spiritum Dei, & virtutem altissimi, ita sermonem Dei cognomi-

nomi-

nominatum fuisse contendit. Hic, quia commodum erat, longe aliud placet. Similiter c. 19. *Qui etsi Deus dicatur, quando nominatur singularis*, nonne prorsus idem est, acsi scripsisset: *Qui etsi Deus cognominetur*, & reliqua? Nec tamen uno hoc contentus fuit Artemonius: arripit ex notis Joan. Wouwerii: *Christum autem & ipsum Deum cognominavit*, ut Paullus videatur discordare cum Evangelista. Fatemur ita in Rhenani editione esse: sed falsam esse eam scripturam orationis series coarguit: jugulatur quoque ab illis quae subjiciuntur. *Ostendit & ipse invisibilem:* Et quantumvis ex una Gorziensi collatione posterioribus hisce pronomen inseruerit B. Rhenanus, facile id genuinum esse apparet. Id vero mirari satis non possum, visum fuisse Artemonio illud, *ipsum Deum cognominavit*, probum Tertullianoque dignum. Nam cum vitiata & à falsariis deformata haec esse judicat c. 7. *Vacua & inanis res est sermo Dei, qui filius dictus est, qui ipse Deus cognominatus est. Et sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo.* Cum inquam adulterina, & intempestive inculcata censet, *qui ipse Deus cognominatus est, & sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo*, & cetera, hoc utitur argumento: qui dicit *ipse Deus cognominatus est*, ille indicat filium ipsum Deum summum altissimumque esse cognomina-

tum, quod à Tertulliani opinione longissime abest: Si verum id est, cur tandem Tertulliano obtruditur, quod cum ejus sententia dissonat? Cur illi non relinquitur vocula, quam verborum ordo requirit atque expostulat. Equidem, ut ingenue dicam, quam candidum sit, fateri uno loco esse aliquid à scriptoris mente prorsus alienum, alio autem id ipsum invito ingerere, nescio: Apte haec cohaerere posse, & recta esse, non temere existimaverim. Lustremus nunc loca, de quibus decernitur inter errores poni, quando Jesus Christus *ipse Deus cognominatur*, eademque opera Tertulliano succurramus: Integra erunt adscribenda, ut nebulae depellantur: *Itaque*, inquit c. 2. *post tempus Pater natus, & Pater passus: ipse Deus Dominus omnipotens, Jesus Christus praedicatur.* His, tanquam in compendio, summam erroris Praxeae proponit: Is enim *meram se veritatem possidere existimabat, dum unicum Deum non alias putat credendum, quam si ipsum eundemque & Patrem, filium & Spiritum sanctum dicat.* Ecquisnam vero vel fidiculis hinc extorqueat, erroribus accenseri, si Verbum ipse Deus cognominetur. Christum Deum Patrem omnipotentem appellandum negat, nihil aliud. Sed forte alter locorum plus caussae patrocinabitur. Ecce ergo tibi è c. 26. *Sicut er-*

ser-

ſermo Dei non eſt ipſe, cujus eſt, ita nec Spiritus: etſi Deus dictus eſt, non tamen ipſe eſt, cujus eſt dictus. Nulla res alicujus ipſa eſt, cujus eſt. Plane cum quid ex ipſo eſt, & ſic ejus eſt, dum ex ipſo ſit, poteſt tale quid eſſe, quale & ipſe ex quo eſt, & cujus eſt: Et ideo Spiritus Dei Deus, & ſermo Dei Deus, quia ex Deo, non tamen ipſe, ex quo eſt. Quod ſi Deus Dei tanquam ſubſtantiva res, non erit ipſe Deus, ſed hactenus Deus, qua ex ipſius Dei ſubſtantia, quae & ſubſtantiva res eſt, & ut portio aliqua totius. An hinc patere arbitraberis, erroneum eſſe, Verbum Dei ipſum Deum appellari? Si ita acceperis, ac ſi Verbum Dei ipſe Deus Pater ſit, idque ſignificare velis, haud dubie in errore verſaberis. Hoc Tertullianus damnat, opponitque ſe Praxeae amicis, qui eo modo Verbum Dei ipſum Deum omnipotentem eſſe opinabantur. Chriſtum verum ipſumque Deum cognominari poſſe, nec hic neque alibi infitiatur. Vides ergo nihil haec obeſſe cap. 7. & ſine cauſſa furcillis inde expelli, *qui ipſe Deus cognominatus eſt: Et ſermo erat apud Deum, & Deus erat ſermo.* Idem eſto judicium de hiſce cap. 12. *Sed & cetera utique idem fecit, qui & priora, id eſt ſermo Dei, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil. Qui ſi ipſe Deus eſt, ſecundum Joannem, Deus erat ſermo; habes duos, alium dicen-*

dicentem, ut fiat, alium facientem. Hic vir Doctus *qui si ipse Deus est* secum ipse diffidens retinet, ablegatis, unde malum pedem intulerant, *secundum Joannem, Deus erat sermo.* Quam gravem vero ob caussam? Non exstare hic debere ait ullum sacri codicis dictum, quo Christus Deus probetur: jam enim in superioribus ejusdem capituli ostendisse Tertullianum, sermonem in scriptura Deum vocari. Deinde ex Geneseos primo capite, non ex Joanne argumenta necti. Exploremus quantum his tribui possit: Alium esse filium, alium Patrem, dedita opera commonstratur ab Afro nostro. *Denique,* inquit, *sequens scriptura distinguit inter personas. Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum. Cur non, suam, si unus qui faciebat, & non erat ad cujus faciebat? Erat autem ad cujus imaginem faciebat: ad filii scilicet, qui homo futurus certior & verior; imaginem suam fecerat dici hominem, qui tunc de limo formari habebat, imago veri & similitudo.* Non id agit, ut comprobet sermonem in scriptura Deum cognominari, quamquam his positis, id deduci indidem potuerit. Sola personarum distinctio eum habet occupatum: hanc contra Praxeam urget. Post deinde sermonem institutum ita pergit: *Sed & in antecedentibus operibus mundi quomodo scriptum est? Primum nondum filio*

apparente, Et dixit Deus, Fiat lux & facta est: Ipse statim sermo lux vera, quae illuminat hominem venientem in hunc mundum, & per illum mundialis quoque lux: Exinde autem in sermone Christo adsistente & administrante Deus voluerit fieri, & Deus fecit: Et dixit Deus, Fiat firmamentum & fecit Deus firmamentum: Et dixit Deus, Fiant luminaria, & fecit Deus luminare majus & minus. Sed & caetera utique idem, & reliqua, quae supra posuimus. Cogit, uti vides, eandem personarum distinctionem ex repetitis illis apud Mosem: *Et dixit Deus, & fecit Deus:* Alium ait esse dicentem, alium facientem. Eum, qui fecerit, esse sermonem, per quem omnia sunt facta, verbis Joannis indicat: ut adeo, quantumvis ex capite primo Geneseos sermocinetur, ex Joanne, quo vis argumenti stringeret, quaedam interserat. Jam vero dubium esse poterat, sitne qui fecerit, alius atque ille qui dixerit. Aufert hanc dubitationem, & facientem docet esse sermonem, qui cum ipse Deus sit, secundum Joannem, parere putat, duos esse, alium dicentem, alium facientem. Et recte satis ex hac opinione: Nam si *Fiat lux* à Deo omnium Patre sit dictum, nondum filio apparente ut statuit, & in sequentibus Deus fecisse dicatur: facta autem omnia sint à sermone, & sine eo factum sit nihil:

hil: Sermo vero Deus sit, utique sequebatur, alium esse, qui dixerit, alium, qui fecerit. Muta nunc, *Qui si ipse Deus est, secundum Joannem, Deus erat sermo.* & videbis mutilam esse Tertulliani orationem: non enim apparebit, sermonem esse Deum. Quare, ut in Tertulliano nihil loco movendum est, ita multo minus in Joanne. Atque haec defensioni Joannis sufficere possent. Nec tamen hinc digredi constituimus, nisi examinatis cap. 12. verbis: *Inde & Esajas ad personam Christi, Et Sabain, inquit, viri elati ad te transibunt, & post te sequentur vincti manibus, & te adorabunt, quia in te Deus est. Tu enim es Deus noster, & nesciebamus, Deus Israelis: Et hic enim dicendo, Deus in te, &, tu Deus, duos proponit, qui erat, & in quo erat, Christum & Spiritum. Ipsum plus est, quod in Evangelio totidem invenies: In Principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo. Vnus qui erat, & alius penes quem erat.* Addent illa robur hactenus disputatis, modo constet, à Tertulliano esse profecta. Servant ea codices omnes, nec est, qui vel minimum hic notaverit dissensum. Vel sic tamen Artemonio, ut prorsus conficeretur Joannis *Et Deus erat Verbum*, adulterina sunt visa: Margini apposita fuisse, & dein, ut fieri solet, in ipsam orationem infarta esse. *Ipsum plus est*,

est, & quae illi apta connexaque sunt. At enim cum nihil hic dissonas ab opinione sua tradat Tertullianus, & oratio bene sit coagmentata, nec dictio discrepet, quae ratio hujus suspicionis? Quomodo, inquiet, Tertullianus capite 13. demum dicere poterat *Ipsum plus est*, *quod in Evangelio*, & reliqua, si jam paullo ante cap. 12. hos duos Deos in Evangelio inveniri professus erat: *Qui si ipse Deus est*, *secundum Joannem*, *Deus erat sermo*, *habes duos*, & cetera. Verum, quod observatum in superioribus est, inibi tantummodo personarum distinctionem urget ex Geneseos principio, obiterque, ut pondus argumentationi conciliaretur, è Joanne sermonem Deum esse coarguit: Potuit ergo suò jure Tertullianus, duos Deos in sacris nostris esse dictos ostensurus *Ipsum plus est*, *quod in Evangelio totidem invenies*, & reliqua, veteris codicis testimoniis adstruere. Nam è Joannis Evangelio duos eum Deos capite 12. commonstrasse, plane falsum est: Lege denuo ejus verba, ne quid dubites: *Exinde autem in sermone Christo adsistente & administrante Deus voluerit fieri*, *& Deus fecit. Et dixit Deus*, *Fiat firmamentum*, *& fecit Deus firmamentum*: *Et dixit Deus*, *Fiant luminaria*, *& fecit Deus luminare majus & minus*: *Sed & cetera utique idem fecit*, *qui & priora*, *id est sermo Dei*, *per*

 quem

quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Qui si ipse Deus est; secundum Joannem, Deus erat sermo, habes duos alium dicentem, ut fiat, alium facientem. Alium autem quomodo accipere debeas, jam professus sum, personae non substantiae nomine: ad distinctionem, non ad divisionem. Jam puto explorata habes, quae diximus. Neque erit, ut multum extimescat Tertullianus alterum, quod stringitur, telum. Observare jubemur, formare sibi doctorem Afrum ex disputatis hanc difficultatem initio c. 13. *Ergo, inquis, si Deus dixit, & Deus fecit: si alius Deus dixit, & alius Deus fecit, duo Dii praedicantur*, Geneseos videlicet primo & Joannis 1. 1. Ad hanc vero ita respondere: *Si tam durus es, puta interim* in locis Geneseos 1. & Joannis 1. 1. duos Deos praedicari: *Et ut adhuc amplius hoc putes, accipe & in Psalmo duos Deos dictos, —— Inde & Esajas, —— Ipsum plus est, quod in Evangelio*, & reliqua. Id vero perridiculum esse: Dicere enim, non mirum esse in Genesi & Joanne alium proponi Deum dicentem, alium facientem, cum etiam quod plus est in Joanne Dii duo inveniantur. Sane vero risum omnibus deberet Tertullianus, si eo modo argumenta necteret, & objectionibus obviam iret: Sed enim ipsa proposita oppositio *si alius Deus dixit, & alius Deus fecit*, ad Mo-

sem

sem manu nos ducit, non Joannem: & ne plura verba perdamus, recognosce de integro totum caput duodecimum, & perspicies ex hominis ad imaginem Dei creatione, rerumque omnium productione duas esse Divinas personas eum condocere, ex Joanne duntaxat, sermonem esse Deum. Quare, ut finem faciam, maneant, quae codices omnes studiose servant, *ipsum plus est, quod in Evangelio totidem invenies,* & cetera; neque addubitemus posthaec, quin Tertullianus in suo Evangelio lectitarit *Et Deus erat verbum.* Reliquum est, ut praecipuae, quam Joanneis verbis è Tertulliano Vir Doctus movit, controversiae nunc attendamus. Advocavit ex cap. 13. ejusdem contra Praxeam libri. *Itaque Deos omnino non dicam, nec Dominos, sed Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater & filius, DEUM PATREM appellem, & JESUM CHRISTUM DOMINUM nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus: E quibus Christus, qui est, inquit, Deus benedictus in omne aevum. Nam & radium solis seorsim solem vocabo: solem autem nominans, cujus est radius, non statim & radium solem appellabo.* Hinc ipsa luce clarius apparere existimat, non fuisse Tertulliani aevo in Evangelii S. Joannis initio *Et Deus erat verbum.* Admissa enim illa lectione, Joannem eodem loco, quo

Pater pariter & filius nominantur, non unum Patrem, sed & filium, Deum appellare, quod Tertullianus neutiquam dicendum esse decernit. Ubi vero id decernitur? In verbis paullo ante commemoratis? Ibi ego quidem invenio, sese id non facturum, non autem, Joannem nunquam fecisse, nedum Joanni displicuisse, quod ipse facturum se negat. Imo ne absolute quidem infitiatur. Damnasset enim quod saepe fecerat, filium Deo Patri junctum Deum compellans: sed ne quid malae suspicionis aliis inderetur, quasi duos Deos Christiani crederent, & venerarentur. Hanc illi mentem fuisse, quae praecedunt, nisi plane fallor, indicio sunt: *Ceterum si ex conscientia, qua scimus Dei nomen & Domini & Patri & filio & Spiritui convenire, Deos & Dominos nominaremus, extinxissemus faces nostras etiam ad martyria timidiores, quibus evadendi quoque pateret occasio, jurantibus statim per Deos & Dominos, ut quidam haeretici, quorum Dii plures.* Habes in his, quam dixi, caussam. Neque ergo praescribit hic quicquam Joanni, nedum in ejus Evangelio *Et Deus erat verbum*, fuisse negat: ne vero dubii quid supersit de vera Afri scriptoris sententia, inseramus huic loco & alia: Posteaquam ex Psalmo, Esaja, & Joanne ea coacervaverat, quae duos Deos duosque Dominos indicabant, *Ergo,* in-

inquis, subnectit, *provocabo te, ut hodie quoque ex auctoritate istarum scripturarum constanter duos Deos, & duos Dominos praedices. Absit. Nos enim qui & tempora & caussas scripturarum per Dei gratiam inspicimus, maxime Paracleti, non hominum discipuli, duos quidem definimus Patrem, filium, & jam tres cum Spiritu sancto, secundum rationem oeconomiae, quae fecit numerum.* Haec denuo, quid ipse cum suis Montanistis faciendum censeat, docent. Ceteroqui, si nusquam in Novo Testamento filium, simul cum Patre positum, Deum cognominandum censeret, quid fiet Heb. 1. 8, 9. ubi ex Tertulliani sententia uterque, & Pater, & filius, Deus vocatur: Nonne quaeso pronum foret inferre: itane Tertulliane scriptore epistolae ad Hebraeos sapientior & *instructior* es? Ille non refugit initio epistolae suae duos ex auctoritate scripturarum commemorare, quos singulos Dei nomine exornat. Quae malum ratio te adigit, ut id recusares, quod vir sanctus, cujus auctoritatem comiter venerasis, faciendum sibi putavit. Atque ita sugillarem scriptorem hunc, si praebitum exemplum probarem. Nunc animadvertendum est, censuisse Tertullianum olim, *retro*, licuisse, ut duos Deos Dominosque nominarent. Post Christi adventum secus esse, ne erroris occasio offerretur: Haec caussa est, quamobrem in-

inter Christianae religionis praecepta *Unum esse Deum* referat L. 1. contra Marcionem, c. 3. *Sed veritas Christiana districte pronuntiavit: Deus, si non unus est, non est.* Quare, cum de scriptura Novi Testamenti non loquatur, sed animi sui propositum explicet, liquidum opiner, mentionem Apostoli Paulli, quem secuturum se profitetur, nihil officere initio Evangelii Joannis. Perges dicere, Tertullianum c. 19. adversus Praxeam, tum demum Christum Deum appellari posse docere, cum singularis ponitur: *Qui etsi Deus dicatur, quando nominatur singularis, non ideo duos Deos faciat, sed unum, hoc ipso quod & Deus ex unitate Patris vocari habeat.* Ergo, adjunges, nusquam in Novo Testamento Tertullianus filium, Deo Patri appositum, Deum appellari advertit: Ergo etiam in Joanne legit *Et Dei erat verbum.* Sed fige quaeso gradum & festina lente. Illane verba *quando nominatur singularis* novum codicem respiciunt? Atqui omnis scriptura Deum Patrem filiumque loquitur. *Sed hanc*, inquit, *societatem nominum paternorum in filio ne facile perspiciant, perturbat illos scriptura, si quando unicum Deum statuit; quasi non eadem & Deos, & Dominos duos proposuerit.* Quae vero? Solane Veteris Testamenti? Non profecto. Eam scripturam Duos Deos Dominosque proponere ait, ex

qua

qua unicum esse Deum colligebant Praxeae discipuli. At illi Deum unum ex utroque codice & maxime novo probabant, ut ex cap. 20. videre est, certo argumento, non excludi Novi Testamenti scripturam. Et tanto minus, cum & in ea, seposito Joannis loco, filium, Deo patri junctum, Deum nominari ex Tertulliani sententia ostenderimus. Quis ergo jure dubitabit, quin illud *quando singularis nominatur* referri oporteat ad haec cap. 13. *solum autem Christum potero Deum dicere*, adeoque pertinere ad morem, quem sibi eo capite praescripsit Tertullianus?

CAP. XIX.

De Themate Lycandi. Id in Cappadociae parte fuisse docetur. Ibidem quaerendam esse urbem Tzamandum. Ptolemaeo, Zonarae & Cedreno vetus scriptura restituitur.

DEscriptis in Themata Constantinopolitani Imperii provinciis accensetur Lycandus, illis à Leone Sapiente inserta. Constantinus Porphyrogenitus *L.* 1. Them. 12. Ὁ δὲ Λυκανδὸς χθὲς, καὶ πρὸ μικροῦ εἰς τάξιν Θέματος καὶ πόλεως ἐχρημάτισεν ἐπὶ τῶν χρόνων Λέοντος τοῦ ἀοιδίμου βασιλέως, ἔρημος ὢν τὸ πρότερον καὶ ἀοίκητος, καινὴ καὶ ἡ καλουμένη Τζαμανδὸς, καὶ

τὰ συμπαρακείμενα μέρη τῶν Ἀρμενίων. *Lycandus non ita pridem inter Themata ac urbes censeri coepta est: temporibus nimirum Leonis illius praeclari Imperatoris: antea enim vacua ab incolis & inhabitata erat, tam ipsa quam Tzamandus, & universa Armeniae finitima regio.* Ex quibus apparet Lycandi Thema proxime attigisse Armeniam: At qua parte non item. Quaeramus utrum certi aliquid constitui hic possit. Praeivit nobis in eo proposito celebri fama Geographus Guil. de L'isle, cujus haec ex Imperio Orientali Anselmi Banduri deprompta verba sunt: *Lycandi Thematis situs non melius dignoscitur, cum Lycandus ipsa, eique vicina Tzamandus, nulli scriptori, qui quidem ad nos pervenerint, celebrentur: Verum cum Euphratiam in eo Themate contineri scribat alio loco Constantinus: Euphratisia autem, quam non diversam ab Euphratia semper judicavi, eadem sit, teste Procopio in Persicis, quae Commagene olim dicta fuerit: hinc perspexi quantum illa ex parte pateret Lycandi Thema, didicique eas, quas modo nominabam, Lycandum & Tzamandum, has esse, quarum ruinas Alepum inter & Malatiam peregrinationibus celebris Paullus Lucas vidisse se testatur.* Ea si vera sint, oportet in Commagene Euphratisque vicinia Lycandus fuerit. At ubi omnia accurate pensitaveris, parebit multa pro certis hic constitui, de qui-

bus

bus jure dubites. Et primum quidem Euphratiam illi Themati inclusam fuisse ex Constantino docemur. Si vero Constantinum ipsum adeas, nihil hujus reperies. Sic scripsit c. 50. de Administrando Imperio: Ὁ δὲ Μελίας εἰς Εὐφρατείαν καθεζόμενος, ὁπότε προεβλήθη Κωνσταντῖνος ὁ Δοὺξ εἰς τὸ Χαρσιανὸν, κατῆλθεν οὗτος ὁ προῤῥηθεὶς Μελίας, καὶ τὸ παλαιὸν κάστρον τῆς Λυκανδὸν ἐκράτησε, καὶ ἔκτισεν αὐτὸ, καὶ ὀχυροποίησε, καὶ ἐκεῖσε ἐκαθέσθη, καὶ ὠνομάσθη παρὰ Λέοντος τοῦ φιλοχρίστου Βασιλέως κλεισοῦρα. Καὶ μετὰ τοῦτο διεπέρασεν ἀπὸ Λυκανδοῦ εἰς τὸ ὄρος τῆς Τζαμανδοῦ, κἀκεῖσε τὸ νῦν ὂν κάστρον ἔκτισε. Καὶ ὡσαύτως κἀκεῖνο κλεισοῦρα ἐκαλεῖτο. *At Melias, qui Euphratiam habitabat, Constantino Charsiani duce designato, Lycandum antiquam urbem discessit, quam cum instaurasset, munivissetque, sedem inibi posuit, illaque ab Imperatore pientissimo Leone clusurae nomen accepit. Deinde Lycando in Tzamandi montem commigravit, ibique urbem condidit, quae & hodie exstat, & similiter clusura appellata est.* Euphratia relicta Lycandum abiisse Meliam significat, nusquam Euphratiam Lycandi Themate circumscriptam fuisse, eove contineri. Praetereo nunc, nondum citra dubium esse Euphratiam & Commagenem prorsus eandem esse. Nam si arbitrio sit standum Imperatoris Constantini, in Armenia erit locanda: Auctor enim est Thema-

te 12. ex Armeniis Meliam Lycandum ſeſe contuliſſe. Ὁ Μελίας ἐκ τούτου τοῦ πολέμου διασωθεὶς, καὶ πρὸς τὴν τῶν Ἀρμενίων χώραν ἀπάρας, εὐφυὴς ὢν, καὶ πρὸς λῃστουργίαν βαρβαρικὴν ἐπιτήδειος, συμμορίαν τινὰ τῶν Ἀρμενίων ἀναλεξάμενος, καὶ ταυτησὶ τῆς πόλεως τὴν ἄκραν κατοχυρώσας ὡς ἠδύνατο, καὶ κατὰ μικρὸν προϊὼν, ὅλην, ὡς εἰπεῖν, τὴν πόλιν τοῦ πτώματος ἤγειρε. *Melias itaque ex hoc praelio ſalvus, quum ad Armenios ſeſe contuliſſet, induſtrius alioqui, & ad barbaricam praedationem peridoneus, manu Armeniorum collecta, arcem hujus urbis, quam poterat optime munivit.* Si enim ex Armenia progreſſus Lycandum occuparit: non autem occuparit, niſi Euphratia, quam incolebat, deſerta, quid aliud relinquitur, quam Euphratiam in ipſa fuiſſe Armenia: Atque hoc confirmare poſſe videtur Armeniorum manus, quam ea fini conſcriptam Lycandum duxit, ut urbem communiret. Utcunque fuerit, ſufficere poterit, Euphratiam & Lycandi Thema diſcrepaſſe, ipſo Conſtantino Imperatore indice, adeoque à vero eos recedere, qui Lycandum Tzamandumque in Commagene locant. Deinde minus videbitur certum, neminem alium Conſtantino ſcriptorem Lycandi meminiſſe, ſi exemplis agetur: Ea dabuntur in ſequentibus: Nunc Thema Lycandi in Cappadocia fuiſſe obſervemus. Huc ſimiles urbium terminatio-

nes

nes nos ducunt. Ptolemaeus in ejus parte Cataonia, quam tamen ipse minori Armeniae accenset, *L.* v. c. 7. posuit *Dalisandum*, *Leandim*, *Polyandum*, ΠΟΛΥΑΝΔΟΝ, sive ut scribendum opinor, ΠΟΔΥΑΝΔΟΝ. Hoc enim nomine inibi urbs fuit: Ποδανδὸς Graecis recentioribus Cedreno, Zonarae, ipsisque Antonini Itinerario appellatur. Comprobat hanc suspicionem Ptolemaei codex Coislinianus Παδυανδὸς praeferens. Vitiosus in ejusdem urbis nomine Constantinus est in vita Basilii Macedonis, ut alias ostendetur. Jam vero Lycandus & Tzamandus, si vocabulorum finem respicias, illis geminae sunt: Sed hoc leve putabis: Neque ego hoc uno nitar. Firmius argumentum praebebit Cedrenus in Basilio & Constantino fratribus Compendii p. DLXVI. Καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν καταλαμβάνει τὴν Λάπαραν, πόλις δὲ αὕτη μέρος τῆς Καππαδοκίας, τὸ νῦν λεγόμενον Λυκανδὸν, διὰ τὸ λιπαρὸν καὶ πάμφορον οὕτω κατονομασθεῖς. *Et tridui spatio Laparam pervenit; ei loco ob pinguedinem & soli fertilitatem id nomen fuit, nunc Lycandum vocant: pars est Cappadociae.* His ut quid adjungam nihil opus est: rem ipsam, nulla usus circuitione, elocutus est. De Tzamando, paucis interpositis, ita refert: Ἐκεῖθεν αὖθις ἐπὶ τὸ λεγόμενον ἔρχεται Τζαμανδὸν, πόλις δὲ ἡ Τζαμανδὸς, ἐν ἀποκρήμνῳ πέτρᾳ κειμένη, πολυάνθρωπος, καὶ πλήθει

προσβερδής. *Inde ad Tzamandum pergit, urbs est Tzamandus, sita in praerupto saxo, hominum divitiarumque abundans.* Id unum negligere non debeo, manifesto errore in Cedreno Καλάπαραν nunc legi: nam cum διὰ τὸ λιπαρὸν hoc cognominis urbi impositum esse moneat, scripsisse se Λίπαραν satis ostendit: Idque verum esse docebit in eadem historia Zonaras tomo III. p. CLXXIII. Περὶ Λίπαραν, ἣ καὶ Λικανδὸν ὠνομάζετο, πρὸς ἄλληλα συνεῤῥάγησαν. & post pauca: εἶτα καὶ τὴν Τζαμανδὸν πολυπληθῆ πόλιν εἰληφὼς κ. τ. λ. Nec tamen ille omni vitio caret: restitue illi ἣ καὶ Λυκανδὸς ex Constantino & Cedreno, & veram urbis scripturam positionemque habebis.

CAP. XX.

Titi Bostrenorum Episcopi in Manichaeos libri non sunt integri. Indicantur varia eorum fragmenta, in nupera editione neglecta, obiterque & Titus & Steph. Gobarus emendatur. Quaeritur an Titus singularem librum de Providentia scripserit. Pars bene magna lib. II. in Manichaeos sub eo titulo latet.

INserti sunt Canisianis Lectionibus Titi Bostrensis, viri pii & egregie docti, in Manichaeos scripti libri, sed, quod dolemus, laceri, & spissis maculis deturpati. Facile fuis-

fuisset ad animadvertendum, modo Viro Docto, cui Graeca debemus, libuisset, intextam extremo libro tertio disputationem de hominis creatione, quam Titi adversarii diabolo acceptam ferebant, ab eo loco, quo legem esse bonam & cum Novo Testamento prorsus congruere docet, esse alienam, referrique oportere ad eam libri primi partem, qua duo ingenita principia, duasque radices, bonam alteram, alteram malam, unde omnia bona malaque prodierint, oppugnat, obiterque hominem Dei optimi maximi esse opus ostendit. Addi etiam, & editionem condecorare potuissent fragmenta ex hoc Titi opere à Graecis nobis servata: Bene magnum è primo libro contra Manichaeos exscripsit auctor Parallelorum sacrorum, quae vulgo Joanni Damasceno tribuuntur, & è Rupefucaldino codice vulgata sunt à D. Michaele Lequien, Litera A. Tit. 73. Id ipsum vero indicio nobis est, plurima primo libro Titi deesse; Egerat in eo de futura corporum nostrorum in vitam revocatione, eamque contra Manetis sectatores adstruxerat, sublatis e medio difficultatibus, quas huic doctrinae movebant ex Paulli verbis, *caro & sanguis hereditatem regni Dei cernere non poterunt*. Alterum, sed brevius in iisdem Parallelis exstat Litera Π, Tit. 25. è libro quarto, unde nihil nobis reliquum est, quo

quo, quid tandem fides Christiana sit, explicat. Multa praeterea nitori potuissent pristino resti-tuti, si in consilium ea fuissent adhibita, quae veteres ex hisce libris subinde produxerunt. Lubet exemplis agere. Opponit sese Titus Manichaeo, bonum immortalitatem, malum interitum appellanti *L.* I. p. 67. hoc modo: Πῶς δ' ἂν εἴη φθορά; πάντως γὰρ ἕτερόν τι φθείρει, οὐχ ἑαυτήν. εἰ δὲ ἑαυτήν, οὐδ' ἂν ἀρχὴν ὑπέστη. ἐφθήσεται γὰρ ἑαυτὴν φθείρουσα μᾶλλον ἢ οὖσα, φθορὰ γὰρ ἀφθαρτὸς ἀδύνατον, κατά γε τὰς κοινὰς ἐπινοίας ἐπινοηθῆναι. Vertit Turrianus: *Quomodo autem erit interitus, aliud namque tollit interitus, non se ipsum: Sin vero se ipsum, neque principio subsistere potuit. Videbitur enim magis se ipse interimere, quam esse: interitus enim immortalis non potest secundum communes notiones cogitari.* Mancam hanc esse sermocinationem cuivis apparet. Qui enim illis Πῶς δ' ἂν εἴη φθορά, respondebunt, quae subnectuntur? Dicere debuit, Qua ratione corruptio sui ipsius erit corruptio? sicuti paullo ante: τίνος δ' ἂν εἴη φθορὰ ἡ φθορά; Quare dubium esse non potest, quin fuerit olim, Πῶς δ' ἂν εἴη φθορὰ ἑαυτῆς ἡ φθορά; *Quo enim modo corruptio sui ipsius erit corruptio?* Atque ita è Tito citavit Stephanus Gobarus in Photii Bibliotheca Codice CCXXXII. Verba adscribo, ut emendentur:

Τίτος δὲ ὁ ἐπίσκοπος Βόστρων, καὶ Μανιχαίων γράφων ἐν τῷ πρώτῳ λόγῳ φησί: Πῶς ἂν εἴη φθορὰ ἑαυτῆς ἡ φθορά; πάντων γὰρ ἑτέρων τι φθείρει, οὐχ ἑαυτήν. Εἰ δὲ ἑαυτὴν φθείρει οὐδὲ τὴν ἀρχὴν ἂν ὑπέστη. Φθαρήσεται γὰρ ἑαυτὴν μᾶλλον φθείρουσα ἢ οὖσα. Φθορὰν γὰρ ἄφθαρτον ἀδύνατον, καὶ γε τὰς κοινὰς ἐννοίας ἐπινοηθῆναί ποτε. Sic ille. Apparet autem non tantum id, quod dixi, sed praeterea in Tito rescribendum videri, φθορὰν γὰρ ἄφθαρτον ἀδύνατον καὶ γε κ. τ. λ. sublata praeposterea, & sententiam interturbante distinctione: pessime vero in Stephano Gobaro exstare, Φθαρήσεται γὰρ ἑαυτὴν μᾶλλον φθείρουσα ἢ οὖσα *corrumpetur enim se ipsum corrumpens*, ut vertunt, nullo sensu. Quid verum sit ex Titi verbis satis dilucescet. Addam aliud: Proferuntur è Bostrensi Tito ab auctore Parallelorum Sacrorum Litera A. Tit. I. Ῥητέον τοίνυν, ὅτι πρὸς τὸ δημιουργήσαντος ὁ ἄνθρωπος εἰς τὸν βίον παρήχθη, ἐμπορευσόμενος ἕτερον οὐδὲν, ἢ μόνον εὐσέβειαν καὶ ἀρετήν. κ. τ. λ. Esse ea è libris contra Manichaeos deprompta non dubitabitur, si modo *L.* II p. 101. adeatur: esse autem in Parallelis quaedam emendatius perscripta, non est ut moneam; ipsa locorum collatio rem manifestabit: Id quaeramus, sitne vero simile Titum Bostrenum librum *de Providentia* scripsisse: Meminerunt ejus viri Docti ex Parallelis, de qui-

 bus

bus antea: Et fatendum eſt inibi Litera κ, Tit. 9. & Litera χ, Tit. 4. lacinias inveniri τȣ̃ ἁγίȣ Τίτȣ, ἐκ τȣ̃ περὶ προνοίας. *Sancti Titi, è libro de Providentia.* Si vero antiquiores conſulas vix quiſquam invenietur, qui ejus operis mentionem fecerit. De ſcriptis ejus ita Hieronymus: *Titus Boſtrenus Epiſcopus ſub Juliano & Joviano Principibus fortes adverſum Manichaeos ſcripſit libros & nonnulla volumina alia: Moritur autem ſub Valente*, libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis cap. 102. Ex quo, quod Titi libro *de Providentia* aut obſit profitve, nihil hauriri poteſt: vel ſic tamen ceterorum omnium ſilentium me eo ducit, ut ſingularem librum hoc indice à Tito ſcriptum eſſe negem. Fragmenta, quae in Parallelis lectitantur Tito deberi perſuaſus ſum: Excerpta ſunt ex libro II. adverſus Manichaeos, & ea quidem illius parte, quam probandae ſtabiliendaeque Divinae providentiae inſtruxit. Neque improbabile eſt, illi libri ſecundi capitulo fuiſſe inſcriptum περὶ τ̃ προνοίας; niſi forte velis totum eum librum, cujus longe praecipuam partem diſputatio de providentia efficit, hunc titulum ſibi praeſcriptum oſtentaſſe. Alterutrum certe à vero non diſſentiet. Sic Expoſitionis fidei, quae vulgo Juſtino Martyri, quamquam praepoſtere, tribuitur, prior pars περὶ προνοίας καὶ πίστως, de

de Providentia & Fide, quod utramque auctor ibi explicasset, dicitur S. Maximo, tertiam vero, quam nunc solam habemus, περὶ τῆς ἁγίας Τριάδος *de S. Trinitate*, de qua potissimum tractat, Joannes Damascenus contra Jacobitas appellat. Atque ita prorsus Joan. Tzetzen ex Maximi Philosophi carmine de Electionibus, in varia capita, quorum unum περὶ γεωργίας, diviso, fecisse antiquissimi poetae Graeci *Georgica* alibi ostendimus. Ne vero de rei veritate ambigatur, compone quod in Parallelis obvium ex Titi libro *de Providentia* Litera K. est, cum pagina *L*. 11. contra Manichaeos 125. & quod Litera X, cum ejusdem libri p. 111. & 112. & omnia citra dubium erunt. Indidem varia Titi loca saniorem recipient colorem, si quis paeoniam illis manum admovere velit. Sanabitur quoque auctor Parallelorum: mutuam enim opem poscunt. Nobis ad alia properantibus haec in transcursu attigisse suffecerit.

CAP. XXI.

Artemon fueritne Theodoto Coriario antiquior? Utriusque partis argumenta proponuntur. Parvus Labyrinthus a quo fuerit scriptus. Theodoreti, Epiphanii & Photii loca explicantur.

FAmosi in ea fuerunt secta, *quae*, ut verba Appendicis de Praescriptione Haereticorum usurpem, *Christum hominem tantummodo diceret, Deum autem illum negaret: Ex Spiritu quidem Sancto natum ex virgine, sed hominem solitarium & nudum, nulla alia prae ceteris, nisi sola justitiae auctoritate*, Artemon & Theodotus Coriarius. Id dubium est, uter horum sit antiquior Theodotus an Artemon? Theodoti aetas satis est explorata: vixisse eum exeunte seculo secundo, Principibus Commodo, Pertinace, Juliano & Severo Imperii gubernacula moderantibus ex Eusebio constat. Alia res est in Artemone: nusquam ejus aetas ita est definita, ut nihil dubii sit reliquum. Nec desunt tamen, quibus Artemon Theodoto longe antiquior videtur. Consideremus atque expendamus hujus disputationis momenta, &, quid probabilius sit habendum, inquiramus: Et quia testibus hoc genus absolvitur, vacivae aures illis praebendae sunt. Eusebius caput

caput ultimum *L.* v. Hist. Eccles. sic ordi-
tur: Τούτων ἔν τινος σπουδάσματι κατὰ τῆς Ἀρτέμωνος αἱρέσεως πεπονημένῳ, ἣν αὖθις ὁ ἐκ Σαμοσάτων Παῦλος καθ᾽ ἡμᾶς ἀνανεώσασθαι πεπείραται. Vertit Valesius: *Porro in cujusdam ex illis auctoribus libro adversus Artemonis haeresim elaborato, quam Paullus Samosatensis nostris temporibus renovare aggressus est.* Auctorem, cujus deinceps verba exscribit, Cajum esse Presbyterum volunt, qui Zephyrini Papae tempestate, adeoque sub Severo, scripsit. Parvus Labyrinthus, unde Eusebius sua hausit, oppositus est hujusmodi sententium opinionibus, ut Theodoretus *L.* II. Haeretic. Fabular. c. 5. docet: Hunc Cajo tribuit Photius Codice XLVIII. ubi & eum ἕτερον λέγει κατὰ τῆς Ἀρτέμωνος αἱρέσεως, singularem librum in Artemonis haeresim vulgasse monet. Jam si Cajus singulari libro oppugnaverit Artemonem, cujus sese placitis accommodarat Theodotus, apparere videtur Artemonem praeluxisse Theodoto. Atque hoc fortasse movit Theodoretum, ut, loco brevi ante producto, primo Artemonem, deinde Theodotum poneret: Neque multum hinc recedit Epiphanius, quamquam certi nihil firmans, Haeres. LXV. c. I. Ἀρθεὶς γὰρ τῇ διανοίᾳ, ἐξέπεσε τῆς ἀληθείας, καὶ ἀνεκαίνισε τὴν αἵρεσιν τοῦ Ἀρτέμωνος, τοῦ πάνυ ὄντος ἐν ἀρχῇ πρὸ ἐτῶν πολλῶν, καὶ ἐσβεσμένου.

μένα. *Qui Paullus elatus arrogantia veritate excidit, atque Artemonis haeresim instauravit: qui cum ante multos annos exstitisset, penitus erat exstinctus:* Significare sane videtur Artemonem egregie antiquum esse, & , si non priorem, saltim Theodoto aequalem. Atque hi pro Artemone, quibus si solis testimonii dictio foret, secundum eum lis esset danda, praeponendusque in posterum Theodoto Artemon. Verum altera quoque pars est audienda: Proferet illa Antiochenorum Patrum epistolam adversus Samosatensem Paullum synodicam apud Eusebium *L.* VII. Hist. Eccles. c. 20. indidemque haec verba: Ἐδηλώσαμέν τι ὑμῖν, ὅπως τούτῳ γράφητε, καὶ τὰ παρὰ τούτου κοινωνικὰ δέχησθε γράμματα. τῷ δὲ Ἀρτεμᾷ οὗτος ἐπιστελλέτω, καὶ οἱ τὰ Ἀρτεμᾶ φρονοῦντες, τούτῳ κοινωνείτωσαν. *Quod quidem idcirco vobis significavimus, ut ad eum scribatis, & ab eo communicatorias literas accipiatis. Hic vero ad Artemam scribat, &, qui Artemam sectantur, cum eo communicent.* Docent Patres illi, debere Catholicos cum Domno, cui credita Antiochenae Ecclesiae erat cura, communicatorias epistolas commutare, non vero cum Paullo: Illum, si ita animo allubescat, ad Artemam & Artemae amicos epistolas ejusmodi posse dare, atque inde recipere. Artemas ille idem est ac Artemon, cujus sectae sese

sese Paullus Samosatenus addixit: Audi eosdem patres Antiochiae congregatos: Τὸν δὲ ἐξορχησάμενον τὸ μυστήριον, καὶ ἐμπομπεύοντα τῇ μιαρᾷ αἱρέσει τῇ Ἀρτεμᾶ, τί γὰρ οὐ χρὴ μόλις τὸν πατέρα αὐτοῦ δηλῶσαι κ. τ. λ. *Proditorem mysterii, & addicentem sese impurae Artemae sectae, quidni enim parentem ejus indicemus?* & reliqua. Et ne quid addubites, accipe haec ex Theodoreto *L.* II. Haeret. Fabul. c. 4. Καὶ Ἀρτέμων δέ τις ὃν τινες Ἀρτεμᾶν ὀνομάζουσι, illisque junge, quae mox ex epistola Alexandri Alexandrini Episcopi excerpentur. Vivebat ergo Patrum horum tempore Artemon: nam ni ita esset, qui tandem potuissent significare, licere Paullo ad Artemonem dare literas? Non enim ad mortuos scribimus. Sanequam ridiculus foret, qui de nostri temporis Arianis profiteretur: Scribant illi Ario, & Arii opiniones amplexis, mihi enim cum illis commune nihil est. Si itaque sanum sinciput illis fuit Patribus, & quis neget? oportet ad annum usque CCLXXI. quo scripta epistola est, aevum extenderit Artemon. Confirmaretur haec ejus aetas testimonio Alexandri Episcopi Alexandriae, si certum esset, quod D. Michael Lequien ad Joan Damascenum de Haeresibus monuit, Alexandrum in epistola ad Alexandrum Byzantinum, quae circa annum CCCXVII. exarata est, affirmasse non ita pridem Arte-

mam

mam Deitatem Christi oppugnare coepisse. Verba Alexandri apud Theodoretum *L.* I, Hist. Eccles. c. 4. sunt: Αὐτοὶ γὰρ θεοδίδακτοι ἐστέ, οὐκ ἀγνοοῦντες, ὅτι ἡ ἔναγχος ἐπαναστᾶσα τῇ ἐκκλησιαστικῇ εὐσεβείᾳ διδασκαλία Ἐβίωνός ἐστι καὶ Ἀρτεμᾶ, καὶ ζῆλος τοῦ κατ' Ἀντιόχειαν Παύλου Σαμοσατέως. *Ipsi enim à Deo docti estis, nec ignoratis, eam doctrinam, quae adversus Ecclesiasticam pietatem nuper caput extulit, Ebionis esse & Artemae, nec aliud esse quam imitationem Paulli Samosateni Antiochiae Episcopi.* At nimis infirmum hoc est, ad constabiliendam Artemonis aetatem, Paulli aequalem: Pari jure, si justum testimonii esset pondus, Ebion ad ejusdem tempora demitteretur, quem tamen certum est Paullo multis annis fuisse superiorem: Liquet Alexandrum docere, nuperrime Ebionis & Artemae opiniones perinde ac Paulli Samosatensis esse instauratas: Non ergo eo teste utemur, solis Antiochenis Patribus contenti. Quod si vero veritate nititur Plautinum illud, *pluris esse oculatum testem unum, quam auritos decem, qui audiant, audita dicere, qui videant, plane scire*, manifestum est, vincere debere Antiochiae collectos Patres, atque adeo Artemonem Theodoto esse recentiorem: neque enim cuiquam probabile futurum censuerim, Theodotum, qui anno CXC. adultam aetatem jam erat egressus,

sus, vitae suae annos continuasse ad annum CCLXXI. Sane tale quid asseveranti, nisi si invictis rerum argumentis utatur, quis fidem facile habuerit? Enimvero, inquies: si tantum inest Patrum illorum verbis, quid fiet Eusebio, Epiphanio, Theodoreto & Photio, qui non obscure Artemoni Theodotum postponunt? Videamus quid futurum sit: Photius Cajum Presbyterum singulari libro Artemonem confutasse tradit, librum nunquam vidit: Γάϊον φασὶ συντάξαι, inquit, ferunt Cajum adornasse librum. Qui tandem? Non docet id Eusebius, non Theodoretus, nec quisquam eorum, qui supersunt: Parvus Labyrinthus haeresi Artemonis revincendae, fuit scriptus, ut ex Theodoreto observatum est: atque hoc est σπούδασμα κατὰ τῆς Ἀρτέμωνος αἱρέσεως ab Eusebio memoratum: Paria hinc Eusebius illis profert, quae ex Labyrintho Theodoretus. Hoc fraudi fuisse videtur Patriarchae Constantinopolitano, ut Viri Doctissimi Steph. Le Moyne & Guil. Caveus jam suspicati sunt: Eusebius Parvi Labyrinthi non meminit, sed σπουδάσματος illius: Librum, cui Parvus Labyrinthus erat inscriptus, Theodoretus laudat: Photius his lectis diversa esse opuscula opinatus est, cum revera nihil discreparent: hausisse vero ex Eusebii fontibus singularem illum in Artemonem librum, facile perspicies,

modo, quae eidem Codici de Caji diſputatione adverſus Proclum inſeruit, cum Euſebio componas *L.* VI. Hiſt. Eccl. c. 20. Quid? ne id quidem extra dubium eſt, Cajum eſſe Parvi Labyrinthi auctorem. Photius ex rumore quodam id tradidit, non certus ejus ſententiae. Euſebius nuſquam Cajo contribuit: Tacet Hieronymus. Theodoretus Origeni perverſe dari commonefecit, Caji eſſe non oſtendit? Credemusne ſecure, quod tantis ſcriptoribus non conſtitit? Sed fuerit Cajus, aut quemcunque velis, id nobis ſuffecerit, non fuiſſe à Cajo in Artemonem ſingularem librum compoſitum. Theodoretus primo loco collocans Artemonem, poſteriore Theodotum, nihil officiet Antiochenorum Patrum epiſtolae Synodicae: arbitrarium hoc eſt, eodemque libro Paullum Samoſetanum Sabellio praepoſuit, quem illi anteriorem fuiſſe nemo dubitat: alibi quoque Theodoti ſectatoribus primum, Artemonis vero, ſecundum locum aſſignat, *L.* V. Haeret. Fabularum c. 11: *Ἐβιωναῖοι δὲ, καὶ Θεοδοτιανοὶ, καὶ Ἀρτεμωνιανοὶ, καὶ Φωτεινιανοὶ ψιλὸν ἄνθρωπον εἰρήκασιν ἐκ τῆς παρθένου τὸν Χριστὸν γεγεννῆσθαι.* Reſtant Epiphanius & Euſebius, qui ſi cum ceteris conſentire poterunt, quid haeſitabimus ultra? Et Euſebii quidem verba hanc dare ſententiam poſſunt: Elaboraſſe veterem illum ſcriptorem commen-

tarium

tarium in eam haeresim, cui Artemon deditus fuit, quamque collapsam paene & oppressam instauravit Paullus Samosatenus. Confutavit auctor, quisquis fuerit, Theodotum, & qui cum illo faciebant: cum Theodoto Artemon sentiebat, unde eadem haeresis erat, sive ab Artemone, sive à Theodoto appellaretur, & qui contra hunc ibat, recte & illum oppugnasse dici poterat. Ut adeo nihil necesse sit, Eusebii locum de Artemone, Theodoto priore, accipere: in primis cum vetus ille scriptor Artemonis non meminerit: imo vero aperte significet, Theodotum esse sectae facem & signiferum: Nuncupat eum, τὸν ἀρχηγὸν καὶ πατέρα ταύτης τῆς ἀρνησιθέου ἀποστασίας, *ducem & parentem defectionis hujus Deum abnegantis*, & τῆς αἱρέσεως ταύτης εὑρετὴν, *opinionis hujus inventorem.* Haeccine scripsisset, si qua Artemonem praeluxisse Theodoto arbitratus esset? Quod autem Eusebius observat, Paullum instaurasse Artemonis haeresim, id non efficiet, quominus uterque aequalis fuerit: tantummodo innuit spretam plerisque ante Paullum fuisse hanc opinationem: auctoritatem vero illi conciliare studuisse Episcopum hunc, juniorem, si annos spectes, Artemone, supparem tamen. Epiphanii illud: τοῦ ποτε ὄντος ἐν ἀρχῇ πρὸ ἐτῶν πολλῶν καὶ ἐσβεσμένου, *qui quondam in principio ante multos annos fuerat, sed jam*

exstinctus, incertum est, de ipsiusne aetate an Paulli accipi debeat: Si prius, idem dixerit, quod Theodoretus *L.* II. Haeret. Fabul. c. II. suo tempore Artemonitarum nullas superesse reliquias, & diu esse, cum vivere Artemon desierit: Sin vero de Paulli aetate intelligi oporteat, fatendum est, aperte pugnare Antiochenis Patribus, neque habere, quem ducem sequatur. Videri potest Epiphanio evenisse, quod Photio, & utrique erroris occasionem fuisse ex Eusebio natam: Is veteris scriptoris σπούδασμα laudat, in Artemonis haeresim, quam Paullus in usum revocavit, vulgatum: an hinc arbitratus est Artemonem Paullo pluribus annis fuisse priorem? Non prorsus vero absimilem faciunt hanc suspicionem frequentes hujusmodi, in quos sese induit, errores. Certe, si quae superius disputavi vera sunt, Epiphanii auctoritas ab assensu paucos cohibebit.

CAP.

CAP. XXII.

De peroratione Hamartigeniae Prudentii. Non esse eam Prudentio abjudicandam contra Viri Docti sententiam ostenditur. Veteres Theologi, Origenem secuti, post ultimam judicii diem purgatorio quodam igne justos fore probandos docebant.

HAmartigeniae Prudentii peroratio, sive preces subjunctae sunt, in quibus poeta decumanis animi fluctibus agitatus, modo spem benivolentiae divinae concipit, modo peccatorum mole obrutus, ita deprimitur, ut Tartareum ignem non abnuat: Sintne illae Prudentii an alterius poetae ambigitur, viris eruditis in diversa discedentibus. Pars earum praecipua est.

Multa in thesauris Patris est habitatio, Christe,
Disparibus discreta locis. Non posco beata
In regione domum: Sint illic casta virorum
Agmina, pulvureum quae dedignantia censum
Divitias petiere tuas: Sit flore perenni
Candida virginitas, animum castrata recisum.
At mihi Tartarei satis est si nulla ministri

 Oc-

Occurrat facies, avidae nec flamma gehennae
Devoret hanc animam, mersam fornacibus imis.
Esto. Cavernoso, quia sic pro labe necesse est
Corporea, tristis me sorbeat ignis Averno.
Saltem mitificos incendia lenta vapores
Exhalent, aestuque calor languente tepescat.
Lux immensa alios, & tempora vincta coronis
Glorificent: me poena levis clementer adurat.

Guil. Caveo spuria haec sunt visa: *Peroratio*, inquit, *sive oratio ad Deum libelli istius calci apposita, spuria videtur. Contradicit Odae* VII. καθημερ. *dicendo: Non posco beata In regione domum. Dictum impium & Prudentio indignum.* Posterius facile ego probavero, si id voluisse poetam censueris, non postulare sese, ut locus sibi inter beatos assignetur. Haec profari eum dedecet; cui Christus spes & vita est. Illene tam abjecto esset animo, ut benivolentissimi Jesu, qui sua morte vitae aeternae candidatum quemcunque sibi addictum renuntiavit, promissis posthabitis immortalitatis gaudia detrectaret? At quid si poeta indicet,

se

se, gravissimorum erratorum sibi conscium, non adspirare ad beatissimam eam stationem, in quam Martyres & Virgines transcribentur. Ita, credo, utcunque excusabitur dictum imprudentius. Atque huc ducimur poetae verbis:

Sint illic casta virorum
Agmina, pulvureum quae dedignantia censum
Divitias petiere tuas.

Cetera orationis, utut in Christiano homine non laudanda, ita comparata sunt, ut doctorum veteris aevi opinionibus non prorsus dissentiant. Credebant illi, omnes, qui beatitatis futuri aliquando erant compotes, per ignem esse traducendos, eoque purgandos. Hilarius in Psalm. cxix p. 261. *An cum ex omni otioso verbo rationem simus praestituri, diem judicii concupiscemus, in quo nobis est ille indefessus ignis subeundus, in quo subeunda sunt gravia illa expiandae à peccatis animae supplicia? Beatae Mariae animam gladius pertransibit, ut revelentur multorum cordium cogitationes. Si in judicii severitatem capax illa Dei virgo ventura est, desiderare quis audebit à Deo judicari?* Existimabant praeterea, illos, quorum delicta bonis operibus erant minora, quodammodo esse excoquendos atque amburendos: La-

ctantius *L.* VII. c. 21. *Sed & justos cum judicaverit, etiam igni eos examinabit. Tum quorum peccata vel pondere, vel numero praevaluerint, perstringentur igni atque amburentur. Quos autem plena justitia, & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient.* His puto genuina sunt poetae:

Avidae nec flamma gehennae
Devoret hanc animam, mersam fornacibus imis.
Esto. Cavernoso, quia sic pro labe necesse est
Corporea, tristis me sorbeat ignis Averno.

Cavernoso Averno offendi non debemus: Poeticum est, & in poeta ferendum. Intelligit *indefessum ignem*, de quo supra ex Hilario Pictavorum Episcopo. Ultimi per orationis versus:

Lux immensa alios & tempora vincta coronis
Glorificent, me poena levis clementer adurat.

Postremi, inquam, versus prima fronte ceteris duriores videntur: motusque est Vict. Giselinus, ut subditicios putaret, tanto magis, quod contra ire viderentur extremae parti Hymni in Romanum, ubi poeta paullo melius de se sperat:

Vel-

Vellem ſiniſter inter hoedorum greges,
Ut ſum futurus, eminus dinoſcerer:
Atque, hoc precante, diceret Rex optimus:
Romanus orat; transfer hunc hoedum mihi:
Sit dexter agnus, inducatur vellere.

Sed ut haec non prorſus certum melioris vitae poetam oſtentant, ita ſuperioribus parum officiunt. Fluctuat aeque hic poeta, neque conſtat eodem tempore, quo Hamartigenia, hunc Hymnum fuiſſe compoſitum. Notum praeterea eſt, pro diverſa temporum ratione varios ſaepe eſſe ſolere animorum motus, ut adeo, quantumvis longe meliora eo Hymno eſſent perſcripta, nihil nocere verſibus poſſent. Nolim tamen exiſtimes, Poetam damnatorum gregi ſeſe inſeruiſſe verbis illis,

me poena levis clementer adurat.

Ea itidem ex veterum opinionibus explicanda ſunt. Quid Lactantius cenſuerit de illis, quibus mali labes eſſet incocta, & quorum peccata vel pondere vel numero praevaluerint, ex obſervatis notum eſt. Neque exiſtimandum eſt, ea Lactantii referenda eſſe ad impios, Deique cultum exoſos: Horum ut neque in reſurrectione, ita neque in ultimo judicio ulla ratio erit, ſi illi obtemperes. *Nam qui Deum*

non agnoverunt, inquit cap. 20. *quoniam sententia de his in absolutionem ferri non potest, jam judicati, damnatique sunt, sanctis literis contestantibus, non resurrecturos impios in judicium.* & extremo capite 21. *Quorum autem peccata & scelera detecta fuerint, non resurgent: sed cum impiis in easdem tenebras recondentur, ad certa supplicia destinati.* Poeta hisce opinionibus imbutus, clementem sibi ignem, quo expietur & lustretur, precatur, non ausus sibi spondere felicitatem Martyrum sanctissimorumque virorum, qui illaesi ignem transibunt. Sic Origenes, sic alii sentiebant: Illo nunc teste defungar. *Omnes*, inquit Homil. III. in Psalm. XXXVI. *nos ad illum ignem venire necesse est. Etsiamsi Paullus sit aliquis vel Petrus, venit tamen ad illum ignem. Sed illi tales audiunt: Etsiamsi per ignem transeas, flamma non aduret te.* Constat autem ea, quae Hilarius, quae Lactantius, quaeque alii in hanc rem similia scripsere, ex Origenianis esse fontibus hausta. Prudentium à quibusdam magni ejus scriptoris sententiis non plane abhorruisse, facile ad demonstrandum esset, si id requireretur. Nunc hos versus è Cathemerinon V.

Sunt & spiritibus saepe nocentibus
Poenarum celebres sub Styge feriae

Illa

Illa nocte, sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis.

Hos, inquam, compone cum D. Huetii Origenianis L. II. Quaest. XI. nec quicquam dubitabis. Jam vero, cum peroratio Hamartigeniae addita sit Christiani hominis, consentiatque opinionibus Christianorum illius aevi, nec quicquam habeat, quod à Prudentio alienum sit, quid haesitabimus illi relinquere, quod scripti codices, & vetusti libri illi adjudicant, spreto Cavei judicio.

CAP. XXIII.

Disputatur de Celso, Christianorum adversario, quem Origenes confutavit. Certone constet eum ex Epicuri fuisse schola? Argumenta in utramque partem proponuntur & examinantur. Verumne sit Celsum in Evangelio Joannis legisse Et Dei erat verbum, Καὶ Θεῦ ἦν ὁ λόγος? *Emendatio quaedam verborum Celsi examinatur, ostenditurque non aliter eum in Joannis exordio ac nunc legitur invenisse.*

CElso acerrimo Christianae religionis adversario hunc locum dabimus. Tralaticia est sententia, fuisse eum ex Epicuri schola: Si vero studiosius rem pensitaveris, multa in solum venient, quae aliud suadere posse videntur. Origenes, à quo confutatus est,

ſaepe eum Epicuri ſectatoribus annumerat, nunquam tamen certus ejus opinionis. Hinc *L.* IV. in Celſum p. 186. Ὁ Ἐπικούρειος Κέλσος, εἴγε οὗτός ἐστι καὶ ὁ κατὰ Χριστιανῶν ἄλλα δύο βιβλία συντάξας. *Si tamen hic eſt*, inquit, *qui in Chriſtianos duos compoſuit libellos.* & p. 200. Ἐλέγχοντες τὸν ἤτοι μὴ προσποιούμενον τὴν ἑαυτοῦ Ἐπικούρειον γνώμην, ἢ, ὡς ἂν εἴποι τις, ὕστερον μετατιθέμενον ἐπὶ τὰ βελτίω, ἢ καὶ, ὡς ἂν λέγοι, τὸν ὁμώνυμον τῷ Ἐπικουρείῳ. *Coarguentes aut non prae ſe ferentem Epicuream ſuam opinionem, aut, quod dici poteſt, mutatum in melius, aut etiam, quod quis opinetur, Epicureo cognominem.* Haec Origenes, ſi citra dubium fuiſſet, Celſum Epicuri ſectam fuiſſe amplexum, non ſcripſiſſet. Quaeramus quid potiſſimum in alteram ipſum opinionem impulerit, & an indidem clare Epicuri ſchola agnoſci poſſit? Fuiſſe ante Origenis aetatem Celſum, qui Epicuro ſe addixerit, certiſſimum eſt. Sed cum plures id nomen uſurpaverint, ea cauſſa virum magnum praecipue non movit. Celſi ſcripta huc eum duxiſſe videntur: Quare operae erit ea, quae ex illis producta ſunt, examinare. Dixerat Celſus, ſaepe multos ſua ſponte inanibus ſpectris ludi: hinc ſuborta Origeni ſuſpicio eſt, voluiſſe eum tecte negare, poſſe mortui animam viventis ſpecie apparere. Hoc ſane, ut ſuum probabit Epicurus: ſed, niſi me omnia fal-

fallunt, infitiabitur Celſus, poſſe id è dictis ſuis cogi. Agnoſcunt Porphyrius, Jamblichus, & quis non, multos inanibus umbris deludi, nec fatebuntur tamen, emanare inde, animas poſt mortem non durare, nedum defunctos, humana ſpecie veſtitos, conſpici non poſſe. Ipſe Origenes eodem loco L. II. p. 97. Celſo αὐγοειδὲς σῶμα, quod ſoluto corporis vinculo Pythagorei aliique animae relinquebant, placuiſſe affirmat. Unde colligas, non omnino improbaſſe, videri etiam poſt mortem defunctos poſſe. Traducit, fateor, alibi eos, qui Zamolxin, qui Mopſum, qui Amphilochum, aliosque colerent, videturque adeo Daemones tollere, quos Graecia venerabatur. Voluit Origenes id inde derivare *L.* III. p. 231. Sed Daemones Celſum ipſamque μαντικὴν, ſive divinationem, probare, deinceps oſtendetur. Chriſtianorum adverſarius inibi Chriſtum adorantes traducit, & Getis, qui Zamolxin, Cilicibus, qui Mopſum colebant, acquiparat. Dices, ridere tamen Chriſtianos, qui oſtentata vitae aeternae ſpe, inanibusque promiſſis homines ſuſpendant L. III, p. 158. At hoc plerisque paganis receptum more fuit. Caecilius apud Minutium c. II. *Nec hac furioſa opinione contenti aniles fabulas adſtruunt & annectunt, renaſci ſe ferunt poſt mortem & cineres & favillas, & neſcio qua fiducia mendaciis*

suis invicem credunt. Nemo tamen Epicureos eos omnes temere dixerit. Majus est, quod providentiam è mundo videatur auferre L. IV. p. 213. Οἴεται γὰρ πρῶτον μὲν μὴ ἔργα Θεοῦ εἶναι βροντὰς, καὶ ἀστραπὰς, καὶ ὑετοὺς, ἤδη σαφέστερον ἐπικουρίζων. *Opinatur enim non esse tonitrua, fulgura, pluvias Dei opera, jam aperte Epicurum exprimens.* Quid? Ne mundum quidem, & quae in eo sunt, unius hominis caussa creata profitetur. Verum horum alterum cum Aristotele habet commune, qui, Athenagora teste, τὰ κατωτέρω τοῦ οὐρανοῦ ἀπρονόητα ἐποίησε, quae infra coelum sunt nulla providentia regi putavit: Alterum cum Academicis quibusdam, de quibus Cicero L. IV. Acad. Quaest. c. 38. Et ne putes penitus providentiam sustulisse, vide L. V. p. 232. ubi Origenes Celsum in libris suis Θεοὺς καὶ πρόνοιαν admisisse significat. Negat quidem eo loci, Deum Deique filium unquam descendisse aut ad terram descendere posse: Idque Origeni tanti visum est, ut tandem tenere se Epicureum putaret. Videamus quibus argumentis in hanc opinionem abierit: Dabit ea Origenes L. IV. p. 160. Θεὸς ἀγαθός ἐστι, inquit, καὶ καλὸς, καὶ εὐδαίμων, καὶ ἐν τῷ καλλίστῳ καὶ ἀρίστῳ. Εἰ δὲ ἐς ἀνθρώπους κάτεισι, μεταβολῆς αὐτῷ δεῖ· μεταβολῆς δὲ ἐξ ἀγαθοῦ εἰς κακὸν, καὶ ἐκ καλοῦ εἰς αἰσχρὸν, καὶ ἐξ εὐδαιμονίας εἰς κακοδαιμονίαν, καὶ ἐκ τοῦ ἀ-

ρίστου

ρίςου εἰς τὸ πονηρότατον. *Deus bonus eſt, pulcher, felix, & in pulcherrimo optimoque: ſi deſcendat ad homines, ut mutetur opus eſt: mutabitur autem è bono in malum, è pulchro in turpem, è felice in infelicem, ex optimo in nequiſſimum.* Haec quin Epicuri ſententiis ſatis conveniant, nemo dubitat. Nec ita tamen comparata ſunt, ut huic ſoli accepta debeant referri. De Deo optimo maximo ejusque excellentiſſima majeſtate plures Philoſophorum paria ſenſerunt: Neque defuere inter Chriſtianos, qui palam profiterentur, *Deum patrem immenſum & ſine fine eſſe, omnia continere & cuncta complecti, ut merito nec deſcendat, nec adſcendat*, quos ab Epicuro toto coelo diſtare, quis ignorat? Addes forſan quae de Deo habet *L.* VIII. p. 392. Ὅγε μὲν Θεὸς ἅπασι κοινὸς, ἀγαθός τε καὶ ἀπροσδεὴς, καὶ ἔξω φθόνου, & illis compones Lucretii verſus:

> *Omnis enim per ſe Divum natura neceſſe*
> *eſt*
> *Immortali aevo ſumma cum pace fruatur,*
> *Semota à noſtris rebus, ſejunctaque longe,*
> *Nam privata dolore omni, privata periclis*
> *Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,*
> *Nec bene promeritis capitur, nec tangitur*
> *ira.*

Ego vero Lucretio ſua relinquo, & Celſi u-

nice probanda existimo. Quis enim Divini numinis admirator paria pronuntiare recusaret? Est quidem de Epicuri schola, ut Lactantii verba usurpem, sicut iram in Deo non esse, ita ne gratiam quidem: Sed horum nihil in Celsi verbis, quibus gemina invenies Jamblichi de Mysteriis Sect. I. 18. Hactenus ea, quae Celsum in Epicureorum numerum transcribere posse videbantur, examinavimus. Nunc ad ea convertemur, quae illum ab ea secta alienum fuisse videntur probare. Mundum hunc Dei esse opus, Θεῦ ἔργον, & providentia regi, nec unquam ab ea destitui *L.* IV. p. 229. docet. Quid hic Epicurus? Mundum ex atomis, quae casu inter sese aptae cohaeserint, componit. Deum vero, qui aeternus beatusque sit, nec habere ipsum negotii quicquam, nec exhibere alteri, ut est apud Ciceronem *L.* I. Nat. D. c. 17. Affirmat divinationem rebus humanis inesse, plurimaque in commodum mortalium ab oraculis fuisse praedicta *L.* VIII. p. 407. At Epicurus μαντικὴν ἅπασαν ἀναιρεῖ, omnem divinationem tollit, sicuti Laertius *L.* x. §. 137. ait: Nihilque adeo irridere solebat, quam praedictiones rerum futurarum, Cicerone teste. Esse Daemonas, & auscultandum viris sapientibus censet, qui eos cruore nidoreque oblectari ferebant. Hos omnes Epicurum negasse Plutar-

tar-

tarchus *L.* I. de Placit. Philoſ. c. 8. auctor eſt. Laudat diſciplinas, quippe nec virtuti, nec Dei cognitioni officientes *L.* III. p. 141. quas navigatione quam velociſſima fugere jubebat Epicurus, Quinctiliano *L.* XII. Inſt. Orat. c. 2. monente. Magiam non omnino negat *L.* III. p. 53. Hanc Celſus, Luciani amicus, non admiſerit, qui ſuis eam libris oppugnavit, ut in Pſeudomanti docemur. Vidit & hoc Origenes, ingenueque agnoſcit, non ſibi eſſe certum, ſitne hic Celſus idem atque ille, qui magiam confutavit. Ὁρᾷς, inquit, ὡς διὰ τούτων οἱονεὶ παραδέχεται μαγείαν εἶναι, οὐκ οἶδα εἰ ὁ αὐτὸς ὢν τῷ γράψαντι κατὰ μαγείας βιβλία πλείονα. Si vero incertum hoc, licebitne nobis cum Eruditiſſimo Valeſio conſtituere, Lucianum in Alexandro his verbis, ἐπεί τε σοφίᾳ καὶ τῷ πρὸς ἀλήθειαν ἔρωτι, indicare Celſi librum, cui Origenes reſcripſit, quique Ἀληθὴς λόγος inſcriptus erat? Sed quid multa moror: Credibilene eſt, Celſum, ſi Epicuro adhaeſiſſet,

qui potuit rerum cognoſcere cauſſas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari.

Credibilene, inquam, eſt, admiſſurum fuiſſe

 poe-

poenas, & poenas quidem aeternas, aeternaque praemia? Utraque amplectitur *L.* III. p. 120. Μήτε τούτοις εἴη, μήτ᾽ ἐμοὶ μήτ᾽, ἄλλῳ τινὶ ἀνθρώπων ἀποθέσθαι τὸ περὶ τοῦ κολασθήσεσθαι τοὺς ἀδίκους καὶ γερῶν ἀξιωθήσεσθαι τοὺς δικαίους δόγμα. *Absit ut hi, aut ego, aut ullus mortalium, tollat doctrinam de injustorum poenis & justorum praemiis.* & L. VIII p. 409. Τοῦτο μὲν γε ὀρθῶς νομίζουσιν, ὡς οἱ μὲν εὖ βιώσαντες εὐδαιμονήσουσιν, οἱ δὲ ἄδικοι αἰωνίοις κακοῖς συνέσονται. *Recte eos sentire, felices fore, qui bene vixerint, injustos vero malis aeternis tenendos.* Ut vero videas, quanti hanc opinionem aestimaverit, addam reliqua: Καὶ τούτου τοῦ δόγματος μήθ᾽ οὗτοι, μήτ᾽ ἄλλος ἀνθρώπων μηδείς ποτε ἀποστῇ. *A quo dogmate nec illi, nec quisquam hominum unquam recedat.* Dici potest, in omni hac disputatione Celsum egisse Proteum, atque omnes induisse formas, ut tanto arctius Christianos constringeret: Ita initio libri sui sumpsisse Judaei personam, & hujus gentis tela in Christianos strinxisse. Sane, si Celsum Epicureum fuisse velis, dicendum id erit. Sed quae ita statuendi necessitas nos adigit, cum plures Celsos ante Origenem vixisse constet, & quae hactenus disputavimus ab Epicuri opinionibus dissideant. Adstruam superioribus unum adhuc exemplum, ut, quid pro religione subeundum esse censuerit, videa-

deatur. Ἐὰν μὲν τοίγε, inquit L. VIII. p. 421. κελεύοι τις, εἰ τύχοι, θρησκεύοντα Θεὸν ἢ ἀσεβεῖν, ἢ ἄλλό τι αἰσχρὸν εἰπεῖν οὐδαμῆ οὐδαμῶς πειστέον. ἀλλὰ πρὸ τούτων πάσαις βασάνοις ἐγκαρτερητέον, καὶ πάντας θανάτους ὑπομενετέον, πρίν τι ἀνόσιον περὶ Θεοῦ, μὴ ὅτιγε εἰπεῖν, ἀλλὰ μελετῆσαι. *Si quis vero Dei cultorem urgeat, vel impie facere, vel turpe quid dicere, non est parendum: sed cuncta sunt potius toleranda supplicia, & mortes quaevis subeundae, quam irreligiosum de Deo aliquid, ne dicam proferre, cogitatione admittere.* Hoccine exspectes ab ejus discipulo, quantumvis sectam dissimulante, qui, ut ille ait,

> *Humana ante oculos foede quom vita jaceret*
> *In terris oppressa gravi sub religione:*
> *Quae caput à coeli regionibus ostendebat,*
> *Horribili super adspectu mortalibus instans.*
> *Primum Grajus homo mortalis tendere contra*
> *Est oculos ausus, primusque obsistere contra:*
> *Quem nec fama Deum, nec fulmina, nec minitanti*
> *Murmure compressit coelum.*

Sed fuerit Celsus ex Epicuri schola: neque enim contendere hac de re velim, invenitne ille καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, *& Dei erat verbum* in

 Joan.

Joannis Evangelio? Vir Doctiſſimus, quicum jam ſaepe diſputavimus, id in animum induxit. Utitur in hanc finem verbis è Lib. II. p. 79. Μετὰ ταῦτα Χριστιανοῖς ἐγκαλεῖ, ὡς σοφιζομένοις ἐν τῷ λέγειν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι αὐτολόγον, καὶ οἴεταί γε κρατύνειν τὸ ἔγκλημα· ἐπεὶ λόγον ἐπαγγελλόμενοι υἱὸν εἶναι τοῦ Θεοῦ, ἀποδεικνύμεθα οὐ λόγον καθαρὸν καὶ ἅγιον, ἀλλὰ ἄνθρωπον ἀτιμότατον ἀπαχθέντα καὶ ἀποτυμπανισθέντα. *Poſthaec Chriſtianos incuſat, quaſi ſophiſtice argutantes, dum filium Dei verbum ipſum eſſe dicunt: Putatque ſtabilire ſe poſſe crimen, quandoquidem verbum eſſe Dei filium profitentes, non purum ſanctumque oſtendimus, ſed hominem viliſſimum, eumque in crucem actum.* His reſpici cenſet ſcripturas, quas Canonicas appellant, ipſumque adeo Joannis Evangelium. Inibi viſum ſibi Celſum fuiſſe, ſophiſticam illam agendi rationem inveniſſe. Joannem enim magnifica & ſtupenda de λόγῳ loqui: at paucis interjectis ad hominem Jeſum tranſilire, quem deinceps a Romanis in crucem fuiſſe ſublatum ſignificat. Nullum eſſe Chriſtianorum librum, niſi hunc, in quem Celſi criminatio conveniat. Nuſquam vero in illo αὐτολόγον legi, ſed λόγον. Manifeſtum inde eſſe, αὐτὸν λόγον ſcripſiſſe Celſum, non αὐτολόγον. Hoc vero ad miſſo, ſequi omnino Θεοῦ λόγον, Dei Verbum, Celſi tempeſtate fuiſſe in Joannis exordio: obiice-

jicere enim eum Christianis, vocare ipsos è Joanne Dei filium *ipsius verbum*, i. e. Dei Verbum: id autem non nisi primo versu legi. Equidem, ut libere dicam multa, hic pro compertis poni video, de quibus non injuria dubites. Sacras N. T. literas, & inprimis Joannis Evangelium illis innui decernitur. Cur tandem? An ex ore & scriptis Christianorum λόγος Θεοῦ, Dei Verbum, qui hominem induerit, & in crucem fuerit sublatus, exulabat? Haec spes, haec eorum gloria: hoc quavis illi occasione ingeminabant. An Celsus, aut Celsi Judaeus, ex Evangelio Joannis sua se sumere indicat? Haud quaquam: Christianos in genere ut sophistas incusat. Quid ergo opus, ut ad Evangelium recurratur, ex quo ea hausta esse, nusquam indicatur? Deinde jubemur αὐτὸ λόγος legere, idque adeo scribentis animo arrisit, ut non hic tantum, sed & *Novis cogitationibus de primo & secundo Adamo* fuerit propositum. Quae vero haec necessitas? Mihi ipsa oratio emendationi pugnare videtur. Ea αὐτολόγον *ipsam rationem*, seu Verbum malis, & λόγον καθαρὸν *puram rationem*, ut prorsus idem ponit. Celsi Judaeus Christianos perhibere ait, Christum esse αὐτολόγον, id est, totum rationem, ut Senecae dictionem adhibeam, sive puram rationem. Sophistice vero agere: cum enim, quem αὐτο-

πλέγειν ferebant, mox re ipsa non esse καθαρὸν λόγον, sive quod idem est, αὐτολόγον docere, dum hominem, & cruci quidem suffixum, faciunt. Haec, uti vides, recte cohaerent. Docebant Christiani νοῦν καὶ λόγον τοῦ πατρὸς εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, mentem & rationem, sive Verbum Patris esse Dei filium, ut est in Athenagora c. 9. Hoc erat αὐτολόγον, sive καθαρὸν λόγον εἶναι, totum rationem, seu puram rationem esse. Eundem vero λόγον, Verbum, rationem, humana carne vestitum, è cruce pependisse, damnatum à Romanis Judaeisque, dictitabant. Hinc eos incusandi occasio Celsi Judaeo fuit: Non procedere is existimabat, esse aliquem αὐτολόγον sive καθαρὸν λόγον, totum rationem, & tamen hominibus accenseri. Haec utut emendationem evertant, faciles tamen Viro Docto nos praebebimus. Demus ergo, Celsi Judaeum respexisse N. T. scripturas, ipsumque Joannis Evangelium: Fac porro verissimum esse αὐτοῦ λόγον, *ipsius rationem*, sive Verbum, sequeturne fuisse in Joannis exordio *& Dei erat verbum*, καὶ Θεοῦ ἦν ὁ λόγος? Cras credo, hodie nihil. Nam si Celsi Judaeus, sive Celsus, Joannem legit, vidit etiam, licet καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, *Et Deus erat verbum* legeretur, λόγον, Verbum, esse Dei Verbum. Id eo capite Joannes ostendit. Id à Christianis, quibus-

buſcum fuerat verſatus, inaudiverat. Neque ergo opus eſt, etſi revera *αὐτῶ λόγον ipſius ſermonem* ſcripſiſſet, ut aliter, ac nunc obtinet, in Joannis Evangelio lectitaverit.

CAP. XXIV.

Martyrologia veterum explicantur. Ex urbibus exſcriptorum inſcitia martyres facti. Theophylacti epiſtolae emendantur. Maximi Philoſophi verſus explicantur & corriguntur. Quid ſit Procurator Euodiae apud Tertullianum. Notatur viri Docti explicatio veteris inſcriptionis. Ruricius Lemovicenus & Heſychius a librariorum peccatis vindicantur.

CAſu dicam an imprudentia factum eſſe, ut nomina urbium, virorum, feminarum, aliarumque rerum ſtupendam ſubierint mutationem: Saepe videas ex urbibus Sanctos, ex hominibus res longe diverſas, & viciſſim è rebus ipſis homines eſſe factos. In ceteris, ubi minus periculum, ferendum id utcunque eſt: in Sanctis vero, quos multi ſacro cultu dignantur, ſi conſulto fiat, plane flagitium eſt. Equidem pleraſque harum mutationum exſcriptorum imperitiae & invaleſcenti ſuperſtitioni, quam plures Sanctos & Martyres peperiſſe, viri Doctiſſimi D. Papebrochius & Joan. Mabillonius docuerunt, tribuere ſoleo. Hujusmodi eſſe putem, quod in Hieronymi Martyrologio a. d. VII. Kal. Mart. legitur:

In

In Africa Chrysogoni, Zenonis, Minandri, Cariniani, Arionis, Hippolyti, Diodori, Menelanti, Athorae, Petri. Lambesis, Lucianae, Felicis, & aliorum XXXVI. In his Martyrem memorari advertis *Lambesem:* At credere noli, eo nomine quemquam fuisse, qui pro Christo ejusque cultu mortem obierit: Nusquam ejus memoria consignata est: & qui posset? cum urbis sit nomen, in qua Luciana & Felix cum sociis XXXVI. ob sacra Christiana perierunt: Lambesis in Numidia fuit posita. In Concilio Carthaginiensi sub Cypriano *Januarius à Lambese* sententiam dixit, qua haereticos omnes baptizandos, & sic in Ecclesiam sanctam admittendos esse decrevit. In Martyrologio olim fuisse videtur: *Lambese Lucianae, Felicis*, & reliqui. Eam urbem cum librarius ignoraret, fecit inde *Lambesis*, ac si Sanctorum catalogo esset insertus novus hic Martyr. Prorsus idem censuerim de Sancta *Salda*, de qua a. d. XV. Kal. April. *In Mauritania Currenti, Timothei, & Saldae, Feliciani, Jocundi.* Sanctas *Salsae* nomine illustres semel iterumque invenio, nullam *Saldam*: Habet satior Notkerus: *In Mauritania Timothei & Saldae*: sed mutila ea esse, Sanctorum fasti, qui Hieronymo tribuuntur, ostentant. Saldis, sive Saldae, Mauritaniae urbs est, Plinio, Antonini, quod vocant, Itinerario, aliisque cogni-

gnitissima: Hinc fuisse videtur miles, cui positus hic Thesauri lapis p. XIV. 9.

I. O. M.
L. PETRONIVS
FLORENTINVS
DOMO. SALDAS
PRAEF. COH. IIII.

Ibidem pro religione Christiana vitam posuere Felicianus & Jocundus. Et ne injuriam me putes exscriptori facere, vide quae a. d. XIV. Kal. April. notet: *Et depositio sancti Leontii Episcopi, Sorenti, Quinti, Quintili, Quartillae, Marci cum aliis* IX. Sic edidit Lucas d'Achery, nec mutatum quicquam est in novissima Spicilegii editione. Si vero Martyrem hinc esse existimares *Sorentum*, ut voluisse videntur, peccares turpissime: Quid verum sit, ex Usuardo cognoscimus. *Eodem die apud Surrentum Sanctorum Quinti, Quintilli, Quartillae*, & reliqua. Non omnino dissimile ignorantiae specimen est a. d VIII. Kal. Jun. *Via Nomentana milliario nono natalis Urbani Episcopi. In Coemiterio Praetextati, Dorostoli.* Ecquid unquam inaudivisti de *Dorostolo*, viro sanctitatis fama illustri? Si quid auctoritatis huic Sanctorum indici est, transcribendus in coelestem civitatem, & pro Martyre, ut factum est, censendus

 Doro-

Doroſtolus erit. Sed cave faxis. Doroſtoli nomine Moeſiae civitas continetur, quam & Doroſtorum vocant. Novi Fr. Bivarium ad Fl. Dextri Chronicon ann. CLXVIII. faſtu quodam Hiſpanico aſſeveraſſe, *tota Myſia, ſive Moeſia, nullam fuiſſe urbem, ſeu oppidum, cui Doroſtorus fuerit nomen:* verum hos flatus alias comprimemus. Nunc ut rem ipſam me dixiſſe perſpicias, atque intelligas, quid faciendum ſit Martyrologio Hieronymiano, audi Notkerum: *Romae via Nomentana in coemiterio Praetextati nativitas Sancti Urbani Papae & Martyris.* Et interpoſitis quibuſdam: *Eodem die apud Moeſiam civitate Doroſcoro.* imo vero Doroſtoro, *Sanctorum Martyrum Paſicratis, Valentinionis, & aliorum duorum ſimul coronatorum.* Non adſtruam his Sirmium, notiſſimum Pannoniae oppidum, ſingulari arte in Sanctam Sirmiam fuiſſe tranſmutatum, nedum ex *Servo Tuburbitanae civitatis majoris generoſo & nobili viro*, de quo Victor *L.* v. Perſec. Vandal *C.* 2. neſcio quibus obſtetricantibus natum eſſe Majorium ſervum Tiburtini cujuſdam nobilis, eumque Martyrem: Acta exſtant, jure optimo confixa à Theod. Ruinarto Cap. v Hiſt. Perſecutionis Vandalicae. Ad alia tranſeundum eſt. Theophylactus Epiſt. penult. Ἐρωτικοῖς δικτύοις οὐχ ἑάλως Σωσίπατρε, τοῦ ἀνθοῦσης ἐρῶν. vertitur: *Amatoriis retibus non captus es Soſipater, floren-*

florentem amans. Minus recte. Anthusa mulieris nomen est, Latinis etiam, ut taceam Anthusam Joan. Chrysostomi matrem, & aliam, quae Leonis Imp. tempore divinationem è nubibus invenisse dicitur in Damascio apud Photium, notum, sicuti lapides loquuntur: Est in eo, quem vidit & publicavit Joan Vignolius:

D. M.
ATROMAE.
ANTHVSAE
L. ATINIVS
EVTYCHVS
CONTVBERNALI
BENE MERENTI FECIT.

Sed in eo interprete mirandum id non est: Ausus est haec ejusdem scriptoris, τὲς πολύποδας φασὶν ἀθυρίας τυγχάνοντας ἑαυτῶν κατεσθίειν πλοκάμους, Latina hoc modo facere: *Polypodes cum se ludo dedunt, ajunt suas ipsorum squamas devorare*. Diceres eum polypodas in ludo rudibus vidisse batuentes, qui lepidam hanc fabulam tradat: adeone difficile erat ἀθυρίαν in ἀθηρίαν commutare, & percipere de cirris hic agi, quos polypodes adedere, cum inter venandum in nullos pisces inciderint, solent? Id miror, Virum doctum, qui

Maximi carmen de Electionibus in Romanorum sermonem convertit, ab his sibi non cavisse: Adeo frequentes ejus in hoc genere lapsus sunt, ut parum absit, quin suspicer, dignum non censuisse id carmen, cui animum intenderet. Non repetam, quae alibi observavi de ℣s. 411.

> οὐδ' εἰ μὲν ἔχεις πόδας εὐφήμοιο
> Εὐρωπηϊάδα.

Ubi ex Euphemo Europae filio praeter omnium opinionem factus est *celebris taurus, qui Europam abstulit*: Alia proferentur: & primo quidem ℣s. 475.

> Εἰ δὲ θεραπναίοισιν ἐν ἄστρασι δινεύῃσι
> Κούροις εὐεανοῦ Αἰτωλίδος.

Intelligi Castorem & Pollucem apertum est, & vidit quoque interpres: Sed quare hi θεραπναῖοι? opinatus ille est ob ministeria, quae obirent, id tituli esse commeritos: vertit enim *ministrantibus*, & hic, & ℣s. 96.

> Εἰ δὲ θεραπναίοισιν ἐπερχομένη διδύμοισιν
> Δεύτερον ἦμαρ ἄγῃσι.

Sic scripsi: male vulgo θεραπαίοισι. Verius haud dubie censuisset, si Geminos Therapnaeos appellasset. Culti enim Therapnis hi fratres fuere: Scholiastes Pindari Isthm. Ode 1.

Ἰστέον

ἱστέον ὅτι τῆς Λακωνικῆς ἐν Θεράπναις τὸ ἱερόν ἐστι τῶν Διοσκούρων. Deinde ỷſ. 506.

> Τῆμος ἐνιβληθέντα καὶ αὐλακόεσσαν ἄρουραν
> Ὄμπνια Δηοῦς δῶρα.

Poſtrema vertit: *Munera Cerealia aurorae dona,* Quid ſodes hic *aurora*? niſi hujus animi fruſtra ſum Δ' ἠοῦς legi oportere ſuſpicatus eſt, voce in duas diſcerpta, non quidem ignarus alterum ex intima eſſe Graecia, ſed nimio ulterius properandi ſtudio in transverſum actus: Rectius accepit ỷſ. 529.

> ἔτ' ὄμπνια ἔργα πέλωνται
> Δηοῦς εὐωδείνος, εὐστρεφέος τ' Ἰοβάκχου.

Mihi tamen nondum omnia hic expedita videntur: Εὐώδεος reſpondet *odoriferae*, quod in verſione eſt: Uſurpavit id praeter alios Apollonius *L.* IV. 1155.

> Τειραμέναι ἰάνους εὐώδεας.

Neque ignotum eſt, Doctiſſimum Virum Edm. Cishul hinc nuper illuſtraſſe Tertulliani ad Scapulam c. 4 *Evodiae procuratorem*, qui Severum per oleum aliquando curaverat, atque intellexiſſe de procuratore *εὐωδίας*, hoc eſt, odorum, unguentorum, oleorum ſub gymnaſiarcha quodam in balneis: quod quamquam conſtabiliri poſſe videtur ex Tertullia-

 no

no de Idololatria c. 11. *Scilicet ad alios pervenit procuratio ſanguinis, ad alios odorum*, ego tamen illis acceſſero, qui Evodiam feminam fuiſſe, cujus procurator fuerit Proculus, credunt. Plurimae tali ornatae nomine in vetrum monumentis ſuperſunt: neque ulla nos ſubigit cauſſa, ut aliter Tertullianum interpretemur. Hic quoque εὐώδιος amplecterer, ſi per legem Pediam liceret. Fortaſſe à veritate non longe aberit, ſi ſcribatur:

Δηοῦς εὐώδινος, εὐστεφέος τ' Ἰοβάκχου.

Eo titulo Rheam cohoneſtavit Nonnus *L.* XLVIII. 240. ob partum felicem.

Δαίμονος εὐώδινος ἔσαν Κυβεληΐδες αὖραι·

et diu ante eum Oppianus *L.* III. Cyneget. ℣ſ. 19.

Ῥείης εὐώδινος ὑπὸ ζάγκλῃσιν ἄγουσιν

Atque haec è Maximo exempli tantum cauſſa: Longum facerem, ſi omnia perſequi vellem. Edidit in Spicilegio ſuo *L.* Begerus inſcriptionem:

L. MARIO. MAXIMO
PERPETVO. AVRELIANO
C. V. PRAEF. VRBIS
PROCONSVLI. PROVINC.
ASIAE. ITERVM

PRO-

PROCONSVLI. PROVINC. AFRICAE.

Additum illi est, Marium hunc fuisse sodalem perpetuum Aurelianum, cujusmodi sodales ceteris Augustis consecratos fuisse omnes norunt: Vellem haec fuissent omissa. Qui prorsus rudes in his tractandis non sunt, nominibus cognominibusque sciunt subjici V. C. Marii cognomina PFRPETVVS AVRELIANVS sunt. Priore usus est Turonensis Episcopus, de quo Sidonius *L.* IV. Epist. 18.

Antistes sed qui sextus numeratur ab ipso,
Longam Perpetuus sustulit invidiam.

& vetus epitaphium, quod Luc. d' Achery in Spicilegio suo vulgavit tom. III. novae editionis p. 104.

Culmina sublimi tollunt quae vertice cristas
Eximius meritis Perpetuus dederat
Domno Martino.

Aureliani aliunde noti sunt. Simile vitium occupavit Ruricii Lemoviceni Episcopi, viri docti & elegantis, epist. 47. *L.* II. *Manus communis susceptus, quod voluntarie facere debuerat, fecit nunc necessitate compulsus.* Sic est in Canisianis Lectionibus. Olim fuit, ut ex parte vidit Canisius, *Amicus communis Susceptus*: viri enim nomen *Susceptus* hic est,

eſt,uti & apud alios. At hoc leve erit, ſi alia, quae epiſtolas ejus deturpant, conſideres Epiſt. 54. invenies: *Ut charitas, quae ſecundum ſententiam Dominicam in pectoribus noſtris per abſentiam quod peris eſt, per praeſentiam iterum in ſoſpitis cineribus ſuſcitetur.* Quae quis intelligat? Voluit Ruricius, *per abſentiam corporis*, &, *in ſopitis cineribus*. Sed ea agere nunc non licet. Cum Heſychio miſcellis his finem faciemus: Μήνιμα, inquit, μῆνις, ὀργὴ, χολὴ, κότος ἐπίμονος, μέμψις. Ἀπωΐων μάνης. οἱ γὰρ ὀργιζόμενοι μαίνονται. Diceres Apionem Grammaticum teſtem advocari: At ſecus res habet: ſcriptum fuit olim, ἀπὸ μανίας, ſicut inſequentia docent clariſſime.

CAP.

CAP. XXV.

Onomasticon Eusebii plurimis locis emendatur. & explicatur. Symmachi fragmentum pristinae integritati restituitur, sicuti & Aquilae. Hieronymo & Peutingeri Tabulae auxilium fertur. Eusebius in Onomasticum corruptas Graecorum interpretum lectiones recepit. Hieronymum literarum affinitate deceptum nova quaedam oppida commentum esse ostenditur. Ejus & Eusebii scriptura defenditur, doceturque veteres Syenem & Soenem dixisse. Veteris cujusdam interpretis fragmentum explicatur & notatur. Hieronymi versio corrigitur.

FIdem meam liberabo, &, quod supra pollicitus sum, in Eusebii Onomasticum hanc operam insumam.

Eusebius.	Hieronymus.
Βηθεμὲκ, εἰς τ̃ κοιλάδα, κλήρου Ἀσήρ.	*Bethemech, quod interpretatur Symmachus locum vallis, est autem sortis Aser.*

Sic edidit Bonfrerius, cum in scripto libro inveniretur Βηθλεὲμ. Sumptum hoc est è Josuae XIX. 27. ubi codex Alexandrinus Βαιθαεμὲκ praefert: Illud olim in Eusebio fuisse ductus literarum evincunt: BHΘAEMEK, BHΘAEEM. ΕΙΣ partem facit vocis praecedentis,

literamque habet, indicem nominis Symmachi: Refingamus ergo Βηθαεμὲκ Σ. Ob Hieronymi auctoritatem τὴν κοιλάδα in τόπον κοιλάδος converti debet: Cum enim ΤΠΝ ſcriptum eſſet, vocalibus aut omiſſis, aut literis ipſis implicatis, ΤΗΝ inde formarunt, & reliqua ad eandem immutaverunt formam. Omnia olim ita in Euſebio erant.

Βηθαεμὲκ. Σ. τόπον κοιλάδος. Κλήρου Ἀσήρ.

Atque haec Hieronymianae verſioni reſpondent.

Euſebius.	Hieronymus.
Καμὼν, πόλις Ἰαεὶρ, ἔνθα ἐτάφη κρίνας τὸν Ἰσραήλ.	*Camon, civitas, in qua ſepultus eſt Jair, cum primum judicaſſet populum Iſrael.*

Nuſquam Camon Jairi urbs vocatur, ut Graeca Euſebii velle videntur: ſepultus in ea eſt, ſicuti Judic. x. 5. docemur. Graeci Interpretes Ῥαμνὼν aut Ῥαμμὼ eam urbem appellant, quod argumento eſt, quam vitiati illorum libri ſint etiam poſt Euſebii aetatem: Verba illius reſtituenda ita ſunt:

Καμὼν, πόλις, ἔνθα ἐτάφη
Ἰαεὶρ κρίνας τὸν Ἰσραήλ.

Hoc ipſa oratio, ceteroquin luxata, hoc Hieronymus exigit.

Eu-

Eusebius.	Hieronymus.
Κάρμηλος, ἔνθα ἦν Ναβὰλ, κώμη ἐστὶ εἰς ἔτι νῦν Χερμαλλὰ ὀνομαζομένη, ἥτις ἑρμηνεύεται Κάρμηλος.	*Carmelus, ubi quondam Nabal Carmelius fuit, & nunc villa est Carmelia nomine.*

Vitium inolevit nomini villae. Hadr. Relandus καρμαλλὰ vel καρμήλια vici nomen fuisse opinatur. Tu vide praestetne Χαρμήλ, an Χερμαλά. De posteriore in Ζεὶβ scribit: Ὧ παράκειται Χερμαλὰ, ἥτις ἑρμηνεύεται ὁ Κάρμηλος οὕτω καλουμένη εἰς ἔτι νῦν κώμη Ἰουδαίων, ἔνθα Ναβὰλ ὁ Καρμήλιος. Hier. *Prope Chermelam, quae in scripturis sanctis Carmelus appellatur, vicus hodie Judaeorum, unde fuit Nabal Carmelius*. Prius suo loco invenies. Χερμαλὰ ego probaverim, & Hieronymo, ut sibi ipse consentiat, reddiderim.

Eusebius.	Hieronymus.
Δαναβὰ —— ἑτέρα δὲ ἐπὶ τοῦ Φογὼρ ὄρους ἀπὸ ζ' σημείων Ἰεβοῦς.	*Damnaba —— & altera super montem Phogor in septimo lapide Esbus.*

Recte Hieronymus, & demiror Bonfrerium, qui Graeca Eusebii supplevit, Ἰεβοῦς in Ἐσβοῦς non commutasse. Jebus hinc longe disparata est, nec ejus hic ratio haberi potuit: Simile

peccatum in Βααλμιὼν ab aliis animadverſum eſt.

Euſebius.	Hieronymus.
Δὼρ τοῦ Ναφὰθ, αὕτη ἐςὶ τῆς παραλίας Δῶρα ἐκ πρὸς Καισαρείας τῆς Παλαιςίνης.	*Dornaphet, quod Symmachus tranſtulit, Dor maritima, haec eſt Dora in nono milliario Caeſareae Palaeſtinae pergentibus Tyrum.*

Ita Martianaeus vulgavit: Bonfrerius ex Hieronymo multa addidit, quae apud eum videri poſſunt: Putem τῆς παραλίας ἐκ neſcio quo caſu eſſe inverſa, cum ſcripta olim fuiſſent: Σ. τῇ παραλίᾳ Δώρα. Praeterea πρὸς indicium eſſe vocum ἀπὸ θ'. Moveor Euſebii noſtri judicio, qui infra:

> Ναφεθδὼρ, ἐν τῇ παραλίᾳ Δώρα, αὕτη ἐςὶν ἀπὸ θ' σημείων Καισαρείας.

Excidit & hic Σ. index nominis Symmachi, ut ex Hieronymo liquet: nullo negotio reddemus Euſebio:

> Δὼρ τοῦ Ναφὰθ. Σ. ἐν τῇ παραλίᾳ Δώρα. αὕτη ἐςὶν ἀπὸ θ' σημείων Καισαρείας τῆς Παλαιςίνης.

Hieronymus & hic, & in Nephetdor de ſuo multa liberaliter admenſus eſt, quorum habenda

benda ratio non eſt. Conſtat eum liberum egiſſe interpretem, & haud raro ex ſuo penu quaedam addidiſſe.

Euſebius.	Hieronymus.
Γαδαρὰ, πόλις —— ἐν τῷ ὄρει, οὗ πρὸς ταῖς ὑπωρείαις τὰ τῶν θερμῶν ὑδάτων λουτρὰ παράκειται.	*Gadara, urbs —— ſita in monte, ad cujus radices aquae calidae erumpunt, balneis deſuper aedificatis.*

Scripſerat Euſebius οὗ πρὸς ταῖς ὑπωρείαις, *ad cujus radices*, ut recte interpres. Alterum plane ineptum eſt. Loquitur de Thermis Gadarenis, quae ſecundum olim poſt Bajas locum obtinebant, ut eſt in vita Jamblichi apud Eunapium.

Euſebius.	Hieronimus.
Γαιμωὰ, χώρα Μωὰβ ἐν Ἡσαΐᾳ.	*Gamen, ſive Gamon regio Moabitarum juxta Iſajam.*

Obſervat Bonfrerius, *nuſquam apud Iſajam, ne apud* LXX. *quidem Interpretes hanc vocem legi*, quod verum erit, ſi receptiſſimas uſu editiones adeas. Olim tamen inibi lectum fuiſſe ex Curterii Procopio colligo, qui cap. XV. 2. ἀπολεῖται ἡ Γέβων edit, male quidem, ſed & pravas Euſebium LXX. Interpretum lectiones ſaepe uſurpaſſe infra manifeſtabitur.

Pro Γέβων ipse Γαίμων aut Γάμων invenisse videtur. Dici vero non porest, quam variam Hebraeum דיבון, *Dibon* metamorphosin subierit. Alibi id ostendetur fortasse.

Eusebius.	Hieronymus.
Γαλαὰδ, —— καὶ Γαλαὰδ πόλις ὁμώνυμος τῷ Λιβάνῳ τῷ ὄρει ἐν αὐτῷ κειμένη.	*Sed Hieremias loquitur: Galaad tu mihi initium Libani. a quo monte & civitas in eo condita sortita est vocabulum.*

Falsi aliquid his Eusebii inest. Indicatur Galaad eodem esse nomine, quo Libanus mons, quod nusquam lectum est, & à veritatis regula recedit. Ausim dejerare, noluisse id Eusebium, sed ὁμώνυμος τῷ ὄρει, ἐν αὐτῷ τῷ Λιβάνῳ κειμένη, *urbs ejusdem nominis, cujus mons Galaad, posita in ipso Libano.*

Eusebius.*	Hieronymus.
Γολγὼν ἡ καὶ Γαλγάν. ταύτης εἶναι πλησίον ἡ γραφὴ διδάσκει τὸ Γαριζεὶν, καὶ τὸ Γεβὰλ ὄρος.	*Golgol, quae & Galgal, juxta quam montes esse scribuntur Garizim & Gebal.*

Postrema Eusebii male habent: Oratio ipsa, ne de Hieronymo dicam, postulat, καὶ τὸ Γεβὰλ ὄρος. Adi ad Deuteronomii XI. 29.

Eu-

Eusebius.	Hieronymus.
Ἐμάθ -- καὶ ἐν τῷ Ἀμὼς Ἐμὰθ Ῥαββά, ὅ ἐστιν Ἐμὰθ ἡ μεγάλη, κεῖται δὲ καὶ ἀνωτέρω. καὶ μήποτε αὕτη ἐστὶν ἡ Ἐπιφάνεια, ἡ πλησίον Ἐμέσης.	*Emath -- in Amos quoque Emath Rabba scribitur, quod nobiscum sonat Emath magna. Diximus de hac supra, quod nobis videretur, hanc esse Epiphaniam juxta Emesam, quae usque hodie Syro sermone sic dicitur.*

Sic confidenter Hieronymus, quod dubitans posuerat Eusebius. Nam Bonfrerius vertens: *Et haec minime est Epiphania*, non est audiendus. Aquila, ut ex Theodoreto & Procopio edocti sumus, 2 Sam. VIII. 9. מלך חמת vertit βασιλεὺς τῆς Ἐπιφανείας. Hoc puto indicatum in codice Regio fuisse, ex quo R. Montfauconius ad illud comma excerpsit. **A.** τὴν Ἐπιφάνειαν. Vir egregius id composuit cum חיל, quasi Aquila pro eo dederit τὴν Ἐπιφάνειαν, ubi recte LXX. τὴν δύναμιν. sed imprudenter. Aquila accuratissimus interpres nunquam ita deliravit, ut חיל eo loci idem esse existimaret ac Ἐπιφάνειαν. Indicabatur in Regio MS. Aquilam pro LXX Interpretum Ἡμὰθ posuisse τὴν Ἐπιφάνειαν· Audi Theodoretum Quaest. XXII. in 2 Reg. Ἀκύλας ἡρμήνευσεν Ἐμὰθ

μὰθ τὴν Ἐπιφάνειαν τῆς Συρίας. *Aquila tranſtulit Emath Epiphaniam Syriae.* Euſebius, ut ad eum reditum faciam, hanc Aquilae ſententiam obiter attigit. Hieronymus, acſi certiſſima eſſet, non hoc tantum in libello, ſed paſſim inculcavit. Sic in Amoſi cap. VI. *Magnam autem vocat ad diſtinctionem minoris Hemath, quae appellatur Epiphania. Unde uſque hodie pergentibus Meſopotamiam prima manſio vocatur Emmas, corrupto quidem vocabulo, ſed priſtini nominis veſtigia retinens.* Mitto cetera loca, unum tamen adjuncturus, ut corrigam, ex Quaeſt. Hebr. in Geneſ. x. *Alii, licet non vere, tamen opinionem ſuam quaſi veriſimili vocabulo conſolantes, Emath primam ab Antiochia manſionem Edeſſam pergentibus appellari putant, & eandem eſſe, quae apud veteres dicta ſit Emath.* Utrobique idem iter deſcribi ab Antiochia in Meſopotamiam, ſive Edeſſam, nemo dubitabit. Oportet ergo, ut manſionis nomen conſentiat. Emath in poſteriori loco ſcriptum male eſt loco Emmas. Corruptum eſſe vocabulum antea ſignificavit, quod ſecus eſſet, ſi in Quaeſtionibus Hebraicis verum nomen exſtaret. Hinc vero clariſſima lux affulget Tabulae Peutingeranae, quae manſiones, quibus in Meſopotamiam Antiochia pergitur, has edit. *Antiochia* XXXIII. *Emma* XX. *Calcida.* Prima hic manſio Edeſſam

atque

atque adeo in Mesopotamiam tendentibus *Emma*, sive, ut ex Hieronymo scribendum est, *Emmas* occûrrit: nam eandem esse, res ipsa docet. Geographo Ravennati *Empsa* depravatius dicitur *L.* II. c. 15. sed hoc obiter. Nunc telam, quam orsi sumus, pertexamus.

Eusebius.	Hieronymus.
Ἐν ἰὰμ καὶ ζὴμ, ἐν τῇ κοιλάδι Ζὴμ.	*Inaczeb, pro quo Sym. transtulit in valle Zeb.*

Et haec vitiis obsita sunt, nec minus Latina, quae ex Martianaeo exscripsi. Fuisse puto Ἐν Ἰακὲβ Ζὴβ. Σ. ἐν τῇ κοιλάδι Ζὴβ. Explicatur Judic. VII, 25. Hieronymus, cujus ad eam formam innovanda verba sunt, hoc comprobat.

Eusebius.	Hieronymus.
Μαψὰρ τύρου, Ἀκύλας, ἄρμα Τύρου	*Mabsar Tyri, pro quo Aquila & Symmachus interpretantur munitam Tyrum.*

Cl. Joan. Clericus illud ἄρμα in ὀχύρωμα mutat: Id enim מבצר צור revera notare. Verum id esse constat. Quia tamen ex codice quodam Regio Montfauconius ad 2. Sam. XXIV. 7. attulit: Α. Σ. φράγμα Τύρου, id cum

co-

eodem hic restituendum arbitrer. Corrigamus hac occasione aliud Aquilae fragmentum. Hieronymus Esaiae LVIII. 12. *Goder Pheres, quod Aquila interpretatus est*, περιφράγμα χείλης, *quod nos possumus juxta sensum dicere, qui se opponit Dei iracundiae saevienti.* Ita vulgavit Erasmus. R: Montfauconius in vetustissimo codice legi monet: ΠΕΦΡΑΡΙΗCΑΙΑΚΟΗC. in Regio esse ΠΗΦΡΗΡΙΕC ΝΑΚΟΠΗS. In altero ΠΕΦΡΗΙΕC ΝΑΚΟΠΗC. In Colbertino Pesaries ΑΙΑΚΟΡΕΣ. Extudit hinc ΔΙΑΚΟΠΗC, quod cum ΑΙΑΚΟΗC & ΝΑΚΟΠΗC satis egregie convenit: Ad alterum adhaerescit. Quid si ἐπιφράσσων διακοπὴν fuerit? Huc ductus literarum dirigere nos videntur. Sed hoc obiter.

Eusebius.	Hieronymus.
Μαριβὼθ, ἕως ὕδατος Μαριβὼθ Ἰεζεκιὴλ. Ἀκύλας διαδικασμοῦ, ἀντιλογίας.	*Mariboth, cujus meminit Ezechiel, dicens, usque ad aquam Mariboth, pro quo Aquila lites, Symmachus jurgia.*

Jure huc Joan. Clericus exulans Symmachi nomen revocavit. Nollem tamen διαδικασμοὺς, & ἀντιλογίας numero multitudinis accepisset: Neque enim ἕως ὕδατος, quod apud Ezechielem praecedit, id ferre potest.

Eu-

Eusebius.	Hieronymus.
Ὠλὼ, πόλις ἱερατική.	*Ocho civitas sacerdotalis.*

Peccavit Hieronymus haec vertens: Cum enim ΩΛΩ scriptum esset, media cum litera fefellit. Respicit Eusebius urbem, quae in Alexandrino codice Ὠλὼν Jos. XXI. 15. dicitur. Similis literarum affinitas & alibi eum in errorem induit. Vide sodes & hoc considera:

Eusebius.	Hieronymus.
Δαλαὰν, φυλῆς Ἰούδα	*Dedan, in tribu Juda.*

Dedan ea nusquam terrarum est, nata ex ΔΕΛΑΝ, de qua Josuae XV. 39. sed vitiosius scripta:

Eusebius.	Hieronymus.
Ῥεμμὼν, Ἡσαΐας ἐν ὁράσει τῇ κατὰ Μωαβίτιδος.	*Remmon, hujus meminit Isajas in visione contra Moab.*

Nusquam hoc apud LXX. Interpretes in Isaja legi ait Bonfrerius, non ex vero. Est enim cap. XV. 9. in editione Procopii Curteriana: ἐπάξω γὰρ ἐπὶ τὸ Ῥεμμὼν, &, τὸ δὲ ὕδωρ τὸ Ῥεμμών. Habet quoque Arabs interpres رمون, *Remmon*, ut dubitandum non sit, quin id olim Interpretum Graecorum codices insederit. Est perversa fateor ea scriptura, nataque ex simi-

ſimilitudine literarum ר & ד, רימון in רימן commutato. At ſolet Euſebius & ea excerpere, quae minus bene exarata ſunt. Exemplum egregium invenies in Ἰαβεὶρ, quod adi.

Euſebius.	Hieronymus.
Στάγειν, ἔνθα ἐβεβηλώθη ὁ λαός.	*Sattim, ubi populus pollutus eſt.*

Olim in Euſebio ΣΑΤΤΕΙΝ fuit, quod cum deinceps in ΣΑΤΓΕΙΝ abiiſſet, extuſum tandem eſt vulgatum. Σάτγειμ praefert Aldi exemplar. Suidas in v. Λώτ. habet ἐν Σαττίῃ, hinc corrigendus.

Euſebius.	Hieronymus.
Συχὲμ, - - - ἦν ἢ καὶ Συχὲμ ἐν ὀρίοις Ἐφραὶμ, πόλις φυγαδευτηρίου.	*Fuit autem & altera Sichem in monte Ephraim, civitas fugitivorum.*

Scribendum eſt in Euſebio ἐν ὄρει Ἐφραίμ. Sic alibi: Συχὲμ, ἡ πρὶν οὖσα ἱερατικὴ τῶν φυγαδευτηρίων, ἐν ὄρει Ἐφραίμ.

Hieronymus.

Soene, civitas Thebaidis, ſicut ſcribit Ezechiel.

Deficiunt hic Graeca Euſebii: Nec improbaſſe tamen hanc ſcribendi formam colligas ex illis, quae in Μάγδωλος obvia ſunt: Κεῖται καὶ ἐν Ἰεζεκιὴλ, ἀπὸ Μαγδώλου ἕως Σοήνης. Hieronymus.

mus. *Legimus & in Ezechiel de Magdolo usque Soenem.* Novi Cl. Clerico deteriorem hanc illa Bonfrerii *usque Sionem* visam esse scripturam: vel sic tamen ego veram esse putaverim. Certa & testata res est, variasse veteres in vocis pronuntiatione. Σεήνη dicitur in Oratione Aegyptiaca Aristidis. Σοήνη in codice Alexandrino Ezech. XXIX 16. XXX. 6. quorsum Eusebius respexit. Pari modo scribitur in Athanasii Historia Arianorum ad monachos, ubi Benedictini monuerunt, Σοήνην itidem occurrere apud Origenem in Matth. p. 352.

Eusebius.	Hieronymus.
Θαιμὰ —— ἀλλὰ καὶ εἰς ἔτι νῦν κώμη ἐστὶ Θαιμὰν, ἀπέχουσα Πετρῶν ἀμφὶ τὰ ιε σημεῖα, ἐν ᾗ καὶ ἐγκάθηται στρατιωτικόν. ἔνθεν ὡρμᾶτο Ἐλιφὰζ ὁ Θαιμὰν βασιλεύς.	*Theman —— sed & usque hodie villa Theman nomine, distans ab urbe Petra quinque millibus: ubi & Romanorum militum praesidium sedet: de quo loco fuit Eliphaz rex Themanorum.*

Hieronymus in passuum, quibus Theman Petra est disjuncta, numero cum Eusebio discordat. Putem denarium numerum ex ejus versione excidisse. Fundus mihi est vetus scholium ex Colbertino codice a R. Montfauconio ad Jobi III. 11. publici juris factum:

Θαιμὰν πόλις Ἰδουμαίας, ὡς φησὶ καὶ ὁ προφήτης Ἀμώς. ὁ δὲ Ἐλιφὰζ υἱὸς Θεμᾶν, τοῦ Ἐσαῦ, ἀφ' οὗ ἡ χώρα, καὶ ἡ κώμη Θεμᾶν, ἀπέχουσα Πετρῶν δεκαπέντε σημεῖα. *Theman urbs Idumaeae est, ut etiam Amos Propheta ait. Eliphas vero filius Theman, filii Esau, a quo regio & vicus Theman, distans Petris* xv. M. P. Egregie haec Eusebianis consentiunt, neque dubium mihi est, quin ex Onomastico fuerint excerpta: sola vox Πετρῶν numero multitudinis praeter morem ab Eusebio posita, & propterea a Cl. Clerico notata, ut alia praeteream, id confirmat. Scribe ergo in Hieronymo, *ab urbe Petra quindecim millibus.*

Eusebius.	Hieronymus.
Ζὴμ, ἐν Ἱερεμίᾳ πόλις Ἀμμάν.	*Zeb, civitas Amman.*

Nusquam in codicibus LXX. Interpretum apud Hieremiam Bonfrerius hoc inveniri significat, idque verissimum est. Hausit tamen ex eo Propheta, quamquam nimis secure alios secutus. Quod enim cap. XLIX. 4. legis בעמקים זב עמקך, *in vallibus, fluxit vallis tua,* id nescio qui interpres vertendum censuit: Διέῤῥευσε τὰ πεδία σου: atque hoc satis recte: alius vero πεδίνοις ζὴφ πεδίοις σου, sic enim explicanda & restituenda, quae ex MS. Jesuitarum Montfauconius edidit. Similia legit Eu-

se-

ſebius, & quia in Moabitas Propheta perorat, ratus eſt Ζιφ aut Ζιβ urbis eſſe nomen, cum nihil minus ſit. Sed jam nimii ſumus.

CAP. XXVI.

Quid Praxeas de Deo patre filioque ejus opinatus fuerit? Origo ſectae fuit in Aſia, in qua & Noetus ſibi diſcipulos legit. Non apparet eum in Joanne reperiſſe, Et Dei erat verbum. Noeti ſectatores receptam Joannis & Paulli Rom. IX. 5. ſcripturam probaſſe videri. Tertulliani verba explicantur & defenduntur.

QUae Praxeae fuerit opinio, quid ſenſerit de Deo & filio ejus, quibus Sacrae Scripturae verbis ſententiam ſuam ſtabilire adnixus fuerit, ambiguum fecit Virorum Doctiſſimorum diſſenſus. Plerique omnes in ea fuere haereſi Praxeam docuiſſe: Deum Patrem & Chriſtum prorſus eundem eſſe, & cum hic paſſus & cruci ſit ſuffixus, Patrem pariter in crucem ſublatum & mortuum fuiſſe: Abiit hinc, & longe alia eum de Deo Verboque ejus tradidiſſe opinatus eſt Vir excellentis ingenii Michael Lequien ad Joan. Damaſcenum de Haereſibus: Finxiſſe ſibi exiſtimat Praxeam, Verbum & Spiritum Sanctum effi-

efficientias quasdam Dei esse, minime subsistentes, sed quas Deus radiorum instar, quando opus esset, evibraret, rursumque ad se contraheret: adeoque censuisse, Dominum Jesum sola Deitatis efficientia imbutum esse, non autem esse personam Patris, quae in Deitate & humana natura substitisset, ut Pater proprie passus & cruci suffixus diceretur. Lubet in hanc controversiam paullo penitius introspicere, & rei veritatem indagare. Utemur testibus ejusdem aevi, & rerum Praxeae non imperitis. In appendice de Praescript. Haeret., quae Tertulliano tribui solet, cap. ultimo ita legitur: *Sed post hos omnes etiam Praxeas quidam haeresim introduxit, quam Victorinus corroborare curavit. Hic Deum Patrem omnipotentem Jesum Christum esse dixit: hunc crucifixum passumque contendit & mortuum: praeterea se ipsum sedere ad dextram suam, cum profana & sacrilega temeritate proponit.* Quae, si vera sunt, oportet Praxeas tradiderit, Deum Patrem induisse hominem, sub nomine Jesu Christi inter Judaeos fuisse versatum, mortem obiisse, vitam resumpsisse, ac in coelum rediisse: atque hoc apertius patebit, ubi ex Tertulliano adversus Praxeam plura his adstruxero. Summa erroris Praxeani ita exponitur c. 2. *Itaque post tempus Pater natus, & Pater passus: ipse Deus, Dominus omnipotens, Jesus*

Jesus Christus praedicatur : Sparsim vero toto libro auctor est, Praxeae sectatores affirmasse, Deum Patrem de coelo descendisse: ex Virgine Maria carnem mortalem sibi sumpsisse: nec tamen proprie Deum Patrem passum, sed hominem, quem sibi arctissime junxerat. Singula verbis ejus comprobabimus: Et primo quidem ex coelo Patrem venisse c. 23. *Haec quomodo dicta sint, Evangelizator & utique tam carus discipulus Joannes, magis quam Praxeas noverat: ideoque ipse de suo sensu: Ante autem solemnitatem Paschae, inquit, sciens Jesus omnia sibi tradita à Patre esse, & se ex Deo exisse, & ad Deum vadere. Sed Praxeas ipsum vult Patrem de se ipso exisse, & ad semet ipsum abisse.* Deinde natum esse ex Virgine Maria c. 16. *Scilicet & haec ne de filio Dei credenda fuisse, si scripta non essent: fortasse non credenda de Patre, licet scripta, quem isti in vulvam Mariae deducunt, & in Pilati tribunal imponunt & in monumentum Joseph concludunt.* Porro filium esse appellatum, quantumvis id prima fronte absurdum videretur, c. 10. *Ergo, inquiunt, difficile non fuit Deo, ipsum se & Patrem & filium facere, adversus traditam formam rebus humanis: nam & sterilem parere contra naturam, difficile Deo non fuit, sicut nec virginem.* Denique cruci affixum & mortuum

c. 29. *Ergo, inquis, & nos eadem ratione Patrem mortuum dicentes, qua vos filium, non blasphemamus in Dominum Deum: non enim ex Divina, sed ex humana substantia mortuum dicimus.* Omnia vero haec, nisi falsus sum, persuadent Praxeam asseverasse, Deum Patrem humanam naturam sibi arctissime adjunxisse, atque adeo Patris personam in humana natura, secum unita, substitisse: quod ipsum confirmabitur illis Tertulliani, è quibus vir Doctus, qui cum disputamus, suam opinionem hausit. *Undique enim obducti*, inquit, c. 27. *distinctione Patris & filii, quam manente conjunctione disponimus, ut solis & radii, & fontis & fluvii, per individuum tamen numerum duorum & trium: aliter eam ad suam nihilominus sententiam interpretari conantur, ut aeque in una persona utrumque distinguant, Patrem & filium, dicentes filium carnem esse, id est hominem, id est Jesum: Patrem autem Spiritum, id est Deum, id est Christum.* Neque enim hic docemur ἐνέργειαν quandam aut efficientiam Patris in filio Jesu fuisse, eamque in Patrem rediisse ex Praxeanorum mente: Sed Divinam naturam, quae in Jesu erat, Patrem, Deum & Christum appellari: humanam vero sive carnem filium & Jesum: ut adeo inter Christum & Jesum distinxerint, hunc hominem, illum De-

Deum, quamquam in eadem persona, dicentes: Pater erat in filio, & Christus in Jesu, sive quod idem est ex illorum opinione, Deus in carne: Passus est filius sive Jesus, in filio vero Pater aliquo modo, illi in eadem persona junctus: neque enim proprie Pater patitur, sed compatitur, ut eorum verbo utar. Audi Tertullianum c. 29. *Ergo nec compassus est Pater filio: sic enim directam blasphemiam in Patrem veriti, diminui eam hoc modo sperant, concedentes jam Patrem & filium duos, si filius quidem patitur, Pater vero compatitur.* Cum Praxea non dissensisse videtur Noetus: Origo sectae in Asia fuit: venit inde Romam Praxeas. Noetus in eadem Asia sibi discipulos legit, & ante Noetum Epigonus & Cleomenes, fortasse è Praxeae amicis, ut Theodoretus *L* III. Haeret. Fab. c. 3. ostendit. Sententiam Noeti ita exprimit Hippolytus: Ἔφη τὸν Χριστὸν αὐτὸν εἶναι τὸν πατέρα, καὶ αὐτὸν τὸν πατέρα γεγεννῆσθαι καὶ πεπονθέναι καὶ ἀποτεθνηκέναι. *Dixit Christum esse ipsum Patrem, & Patrem ipsum natum, & passum, & mortuum fuisse.* Paullo fusius Theodoretus: Ἕνα φασὶν εἶναι Θεὸν, καὶ πατέρα, τῶν ὅλων δημιουργὸν. ἀγέννητον μὲν ἐξ ἀρχῆς, γεννητὸν δὲ ὅτε ἐκ παρθένου γεννηθῆναι ἠθέλησε. ἀπαθῆ καὶ ἀθάνατον, καὶ πάλιν αὖ παθητὸν καὶ θνητόν. ἀπαθὴς γὰρ ὢν φησὶ

τὸ τοῦ σταυροῦ πάθος ἐθελήσας ὑπέμεινε. τοῦτον καὶ υἱὸν ὀνομάζουσι καὶ πατέρα. Quae omnia Praxeanorum placitis apud Tertullianum satis respondent, quamquam inibi explicatius enarrantur, quae quodammodo involuta hic repraesentantur: Sed haec mittamus. Id potius quaeramus, habueritne Praxeas in Joannis Evangelio *& Dei erat Verbum*? Arbitratur ita vir Doctissimus, qui sub Artemonii nomine latere voluit: argumento utitur negativo, uti vocant: Varia Praxeas ex Scriptura suae doctrinae confirmandae allegavit loca, quae Tertullianus refellit: nusquam vero illa, *& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* cum tamen dictu facillimum esset, ex istis apertissime sequi, Verbum, quod erat apud Deum, eundem dici Deum, apud quem erat: Statim enim Verbum, quod erat apud Deum, Deum ipsum dici: adeoque Christum eundem esse ac Patrem. Haec vero cum neglexerit, quid aliud suspiceris, quam in Joanne *& Dei erat Verbum* legisse? Mihi, ut ingenue dicam, omnia haec certa non videntur. Primo enim argumenti hujus vis plerumque dubia est: Non certo consequitur, aliquem hoc illudve non dixisse neque fecisse, quia alter reticuit: Maneamus intra terminos disputationis. Negat vir Doctus Praxeam Roman.

IX.

IX 5 habuisse, *ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας*, *qui est supra omnia benedictus Deus in secula*, siquidem Tertullianus nusquam dicit, illa eum verba ad stabiliendam opinionem advocasse. Nec dubium tamen est, quin Praxeani Paulli locum in hanc finem usurpaverint, invenerintque adeo, quod nunc in ea epistola lectitatur: Noetum cum Praxea fecisse observatum est: De eo Hippolytus c. 2. Χριστὸς γὰρ ἦν Θεὸς, καὶ ἔπασχεν δι' ἡμᾶς αὐτὸς ὢν ὁ πατὴρ, ἵνα καὶ σῶσαι ἡμᾶς δυνηθῇ. Ἄλλο δὲ φησὶ, οὐ δυνάμεθα λέγειν, καὶ γὰρ ὁ Ἀπόστολος ἕνα Θεὸν ὁμολογεῖ, λέγων, ὧν οἱ πατέρες, ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς, τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. *Christus enim erat Deus, & propter nos passus est, cum Pater esset, ut posset nos salvos facere: Aliud enim, inquit, dicere non possumus, siquidem Apostolus unum Deum confitetur, cum ait: Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus benedictus in secula.* Vides Noetum popularesque ejusdem factionis verbis Apostoli fundasse suam sententiam. Jam vero, ut prorsus non sequitur Praxeanos non fuisse usos eo loco, quod nusquam Tertullianus ab illis adhibitum significavit, perinde apparet, certissimum non esse habendum, eosdem verba Joannis sprevisse, aut aliter legisse, quoniam Tertullianus hoc ni-

xos fuisse argumento non indicavit. Deinde Tertullianus verba Joannis, de quibus lis est, contra Praxeanos urget, indeque alium esse Patrem alium Christum docet, non utique facturus, ni ita & illi legissent, nam ob ea, quae alias dixi, nulla mihi dubitandi caussa est, quin quod nunc in praefatione Evangelii Joannis est, itidem habuerit: Et quid si unum hoc è c. 21. illis addamus. *Et in primis*, inquit, *ipsa statim praefatio Joannis Evangelizatoris demonstrat, quod retro fuerit, qui caro fieri habebat: In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo. Hic erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Nam si haec non aliter accipi licet, quam quomodo scripta sunt, indubitanter alius ostenditur, qui fuerit à principio, alius apud quem fuit: alium sermonem esse, alium Deum, licet & Deus sermo, sed qua Dei filius, non qua Pater. Alium per quem omnia, alium à quo omnia.* Sic edidit è notae veteris codice Rigaltius, cum à Rhenano esset, *alium sermonem Dei, alium Dominum*, male haud dubie: atque hoc quadamtenus fatetur vir Doctus: Retinet tamen *sermonem Dei*, quippe ejus suspicioni magis accommodatum. Sed quare id unice probandum est? an quia plures pro eo codices stant? Non sane haec

apud

apud eum ratio valere debet, qui saepius professus est, universum manuscriptorum numerum in scripturas longe falsissimas conjurasse: Et quid tandem inest huic lectioni, quare improbari debeat? An quid alienum ab opinione Tertulliani prae se fert? an genio scriptoris non convenit? an orationis series repugnat? Nihil horum jure constitueris. Sed demus venisse à Tertulliano, *alium sermonem Dei esse, alium Deum*, idne officiet receptae Joannis scripturae? equidem non temere dixerim: namque illa Tertulliani: *Sic haec non aliter accipi licet, quam quomodo scripta sunt*, nihil aliud significare videntur, quam Joannis orationem manifesto discrimen facere, ut dein ipse commonefacit, inter Deum & sermonem, adeoque inter Deum Patrem & Christum ejus filium: ne dicam ea, quae subnectuntur: *Licet & Deus sermo, sed qua Dei filius, non qua Pater*, Joannis scripturam adfirmare, & penitus tollere objectionem, si quam hinc formare Praxeani vellent. Ut autem Tertullianus, ita Hippolytus contra ejusdem generis homines testimonium Joannis advocavit c. 14. contra Noetum: Verba in anterioribus dedi, hic tantummodo ea repetam, quae Joannis loco subjecta sunt: Εἰ δὲ ἦν, inquit, ὁ λόγος πρὸς τὸν Θεὸν, Θεὸς ὤν, τί οὖν φήσειεν ἄν τις

δύο

δύο λέγειν Θεούς; δύο μὲν οὐκ ἐρῶ Θεοὺς, ἀλλ' ἢ ἕνα, πρόσωπα ᾗ δύο. *Si ergo verbum erat apud Deum, & eus erat, quid ergo? diceine aliquis dicere Joannem duos Deos? Duos quidem non dicam, ſed unum; perſonas vero duas.* Verbum & hic Deum appellat, ſecutus Joannem. Si cum ſuis Noetus in Joanne hunc Verbo additum titulum non reperiſſent, Hippolytus ſane quam turpiter ſe dediſſet: Ridere hominem, & excipere potuiſſent, nihil hujus eo loci inveniri: Quid vero excipiunt? Doceat nos Hippolytus, hanc ſibi ex ea parte difficultatem nectens c. 15. Ἀλλ' ἐρεῖ μοί τις, ξένον μοι φέρεις λόγον λέγων Θεόν. Ἰωάννης μὲν γὰρ λέγει λόγον, ἀλλ' ἄλλως ἀλληγορεῖ. *Sed dixerit mihi quis: Rem novam adfers cum verbum appellas filium: Joannes quidem meminit Verbi, ſed aliter per allegoriam interpretatur.* Nullam movent controverſiam Scripturae, quam contra eos Hippolytus preſſerat, quaque Deum eſſe Verbum condocuerat: id duntaxat cavillantur non recte λόγον *Verbum*, de quo Joannes, ad Jeſum Dei filium referri: aliud enim eum voluiſſe. Denique pone in Evangelio Praxeae aetate fuiſſe *& Dei erat Verbum*, non minus mirandum erit, ea ipſum neglexiſſe, ut robur ſuae opinioni conciliaret, quam quae revera lectitabantur. Urebat hominem Tertullianus ver-

verbis Angeli ad Mariam: *Spiritus Dei superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit te: propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Hinc utique sequi videbatur, alium esse Spiritum, alium Deum, cujus esset: alium filium, alium Deum, cujus filius diceretur. Ut hinc sese expediret: *nempe, inquit, filius Dei Deus est, & virtus altissimi altissimus.* Qui vero talia profiteri audet, nonne illi prona & ad id dicendum in aperto via fuit: Verbum quod erat apud Deum, Dei fuisse Verbum: Dei Verbum esse Deum: Verbum ergo esse Deum, apud quem fuerat: Christum autem esse Dei Verbum, ergo Christum eundem esse ac Patrem: Cum vero nunquam ita sermocinatus fuerit, licebit credo mihi pari jure, quo viro Doctissimo, inde cogere, non habuisse in suo Joanne *& Dei erat Verbum.*

CAP. XXVII.

Explicantur jurisjurandi formulae, quibus adigi Judaei solebant, & vitia, quae illis inoleverunt, eluuntur. Judaei Divina nomina stipabant juraturi, legisque librum manu tenebant. Similis hinc mos ad Christianos venit, quorum variae dirarum formulae, quarum olim usus erat, recensentur.

DIrum jurisjurandi carmen est, & in exsecrationem capitis, familiaeque & stirpis compositum, quod gente Judaeus, sed sacris Christianorum initiatus, suis popularibus in Jure Graeco Romano Leunclavii p. 119. defert. Dabo illi hunc locum, & quia vulgo neglectum audio, aliquid operae in id insumam. Semper inter Judaeos inventi fuere, qui fidem & jurisjurandi religionem suis commodis postponerent, exosi ceteros, sibi solis studentes. Quid Tacitus in eos dixerit, praetereo, neque nunc attingam, quae Synesius habet. Id observari meretur, gentis ejus defectores saepius esse criminatos, posse perjurii veniam à doctoribus impetrari, & huc tendere solennes preces, quas à primis earum vocabulis כל נדרי, *Col nidre* appellare consueverunt. Equidem persuasus sum, iniquam esse criminationem, & eas preces vota, quibus sese obligaverant, respicere: vel sic tamen exploratissimum longo rerum usu est, fluxam

xam multorum in ea gente fidem esse. Quare mirandum non est, multa ad terrorem incutiendum apta jurijurando fuisse adnexa. Jubet Christianus ille, qui jusjurandum defert: Ἐν πρώτοις, ἵνα ζώσηται τὸν βάτον, καὶ καβαλλικεύσῃ τὸν ἄσκον, καὶ ἐμβῇ εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ πτύσῃ τὴν περιτομὴν αὐτοῦ τρίτον. *Inprimis, ut rubo cingatur, & utri inequitet, mareque ingressus ter circumcisionem suam conspuat.* Qui ritus an rubum ardentem & transitum per sinum Arabicum respiciant, non satis certo scio. Id constat, alibi locorum ejusdem generis fuisse adhibitos. Monnerunt viri Docti in Jure Saxonico requiri, ut Judaeus juraturus nudos pedes in pellem scrofae detractam imponat, & cilicio cinctus adjuret. Alibi alia fuerunt observata, omnia ad terrorem composita. Jurandi carmen hoc est. Μὰ τὸν Βαρουχῆ, Βαρουχᾶ, Ἀδωναΐ, Ἐλωΐ, τὸν διαπεράσαντα τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν τὸν Ἰσραὴλ ἀβρόχως, καὶ ποτίσαντα αὐτοὺς ὕδωρ ἐκ πέτρας, καὶ δόντα αὐτοῖς μαννὰ φαγεῖν, καὶ ὀρτυγομήτραν, εἰ καὶ αὐτοὶ ἀχάριστοι ἐγένοντο, παραιτησάμενοι τὰ τοῦ χοίρου κρέα. Μὰ τὸν νόμον, ὃν δέδωκεν Ἀδωναΐ, καὶ τὸν ἔμπλυσμον τοῦ σώματος τῆς περιτομῆς, καὶ τὸν βάτον, ὃν τῇ ἐμαυτοῦ ὀσφύϊ περιζώννυμαι. οὐκ ἐπὶ ψεύδους ὀμνύω τὸ ἔνομα τοῦ κυρίου Σαβαώθ. εἰ δὲ ἐπὶ ψεύδους ὀμνύω, ἐπικατάρατα τὰ ἔκγονα τῆς κοιλίας μου. Ψηλαφήσω ὡς ὁ τυφλὸς τοῖχον, καὶ

ὡς μὴ ὑπάρχων ἔχων ὀφθαλμὰς πισῦμαι. σὺν Ἰὐπνις πᾶσιν ἀνοιξάτω ἡ γῆ τὸ σόμα αὐτῆς, καὶ καταπιέτω με ὡς Δαθὰν καὶ Ἀβειρών. *Ita me juvet Barase, Baraa, Adonai, Eloi, qui transduxit Israelem per rubrum mare siccis pedibus, & aquam eis ex saxo potabilem praebuit, mannamque dedit comedendam cum coturnicibus, licet ipsi facti fuerint ingrati, repudiatis porci carnibus. Per eam legem, quam promulgavit Adonai, perque sputi rejectionem hanc in corpus circumcisionis, & per rubum, quo cincti sunt lumbi mei: Non mendacii caussa nomen Domini Sabaoth adjuro. Sin aliter fecero, subjecti sint exsecrationi è ventre meo prodeuntes liberi: more coeci parietem palpando quaeram, & instar ejus, qui oculis captus est, labar: Praeter haec omnia tellus os suum aperiat, meque absorbeat, ut Dathanem & Abiromum.* Huc usque formula, cujus conceptis verbis qui pejeret, nae ille projectae fidei & plane intestabilis erit. Sed quid barbara illa & plena terroris vocabula Μὰ τ̄ Βαρασῆ, Βαρρᾶ? V. CL. Joan. Seldenus *L.* II. de Synedriis C. II. depravata esse conjicit ex his בורא השמים והארץ, *Bore haschamaim vehaerets, Creatorem coeli & terrae.* Usos esse inter jurandum hac formula Judaeos, certum est. Nimium tamen est inter utraque haec discrimen, nec credibile fit, Graeca adeo esse deturpata. Putem scripta olim fuisse Βαρασὴθ

βα-

Βαρᾶ, & esse initium Geneseos בראשית ברא. Novi Christianos plerosque, Origenem secutos, ea pronuntiasse Βρησὶθ Βαρᾶ. Nec defuere tamen, quibus id, quod dedi, placeret. Certe R. Montfauconius in Catena Regia in Heptateuchum Βαρησὶθ invenit, & hoc tempore Samaritani *Baraschith Bara*, ut ex Jac. Golio, aurito teste, Hottingerus accepit, sonare solent. Jubetur ergo jurare per eum, qui *in principio creavit*. Quod vero alia Dei Optimi nomina adduntur, id more factum est Judaico. Stipare ea hi in jurandi formulis solebant. Exemplum est in tractatu Misnico de Jurejurando c. IV. §. 13. משביע אני עליכם בשדי בצבאות ברחום וחנון בארך אפים ורב חסד ובכל הכנויין. *Adjuro ego vos per Schaddai, per Sebaoth, per gratiosum & misericordem, per tardum ad iram, multumque beneficum, perque omnia Dei cognomina.* Persuadebant sibi, si eo modo alios ad jusjurandum adigerent, fore, ut fidem non fallerent. Diu est, cum ex merito hunc morem coarguit Philo de Legibus Specialibus p. 770. Νυνὶ δ' ὑπὸ τῆ ἄγαν ἀσεβείας περὶ ὧν ἂν τύχῃ τὰς φρικωδεστάτας ὀνομάζουσι κλήσεις, καὶ ἄλλ' ἐπ' ἄλλοις ἐπιφέροντες ὀνόματα σωρηδὸν οὐκ ἐρυθριῶσι, νομίζοντες τῇ πυκνότητι καὶ τῷ συνεχεῖ ἐπαλλήλων ὅρκων, ὧν διανοοῦνται, τεύξεσθαι, λίαν ὄντες εὐήθεις. *Nunc ea impietas est, ut passim non sine horrore audienda*

Dei

Dei nomina congerere acervatim non erubescant, rati crebris sese adjurationibus, ut sibi credatur, consecuturos, sane quam fatui. Cetera illius formulae, utpote è sacris desumpta, nihil habent difficile. Sola illa παραιτησάμενοι τὰ τοῦ χοίρου κρέα *repudiantes porcinam carnem* quid velint, non satis perspicio: Nam qui inter ingrati Judaeorum animi argumenta referri poterit fastidium carnis suillae? Si ejus appetitum jurisjurandi auctor huc advocasset, forte intelligenda dixisset. Atque hoc Leunclavium movisse videtur, ut negandi vocabulum ὐ adderet: Merito vero roges, unde haustum sit, Judaeos fastidita manna carnem suillam vesci cepisse. Equidem dicere non possum: neque est credo, qui hoc vitio illis verterit. Cui enim ignotum est, semper ab ea carne adeo abhorruisse, ut, Juvenali teste,

Nec distare putent humana carne suillam.

Longe alia Moses,* cum satias eos mannae & coturnicum cepisset, desiderasse docet Numer. XI. 5. Claudunt formulam exsecrationes, magnam partem ex Deuteron. XXVI. & Esaj. LIX. desumptae. Quod ultimum est supplicium Dathanis & Abiromi, in imprecationibus satis solenne fuit, etiam inter Christianos. Usurpavit Willebrordus Ultrajectinus Episcopus in testamento, quod post Aub. Miraeum Wil-

Willeb. Boſchartius Diſſert. cxxxi. de primis veteris Friſiae Apoſtolis fuſius explicuit: *Inprimis*, inquit, *iram Dei omnipotentis incurrat & Sanctorum Angelorum, & ab omnibus Eccleſiis vel conſortio Chriſtianorum efficiatur extraneus, & habeat partem cum Juda, qui Dominum tradidit, & cum Dathan & Abiron, quos terra vivos deglutivit.* Additum quoque erat jurijurando, quo in Palatinatu Judaeus adigi ſolebat, ut terra ipſum dehiſcens, ſi pejeraret, ſicuti olim Dathanem & Abiromum, devoraret. Atque haec ad eam formulam. Excerpemus aliam ex eodem Jure Graeco Romano p. 120. Tranſumpta dicitnr ἀπὸ τοῦ ἐπαρχικοῦ βιβλίου *ex libro praefectorio.* Habebat olim praefectus codicem, cui ſolennes actionum formulae erant inſertae, plane ut libera republica Praetor, & ſub Francis regibus Majores domus. Jubetur vero juraturus: Ἐν πρώτοις ἵνα ζώσηται τὸ βάτον, καὶ κρατήσῃ ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸ μεγαλεῖον. *In primis ut rubo cingatur, manibusque ſuis rem auguſtam teneat:* Μεγαλεῖον, ut viri Docti jam viderunt, ſacrum codicem notat, quo tacto jurare Judaei ſolebant. Maimonides de Jurejurando c. xi. הנשבע אחז ספר תורה בזרעו והוא עומד ונשבע בשם. *Juraturus legis librum manu prehendit, & ſtans per Deum jurat.* Veniſſe inde ad Chriſtianos, ut inter jurandum Evangelia tangant, credibile eſt,

quam-

quamquam ut prona ad superstitionem via esse solet, per ipsa paullatim Evangelia dejerari coeptum est. Notavit hunc abusum in Catholicis Patarinorum aliquis, ut ex veteris disputationis, quam tom. v. Anecdotorum Edm. Martene publicavit, cap. xi. apparet. *Et quomodo*, inquit Patarinus, *cavetis jurare per creaturas, qui juratis per Evangelia & per ossa mortuorum*. Respondet Catholicus: *Si quando vel à vulgaribus vel à scripturis invenies, quod aliquis juret per Evangelium, vel alia, intellige per pro super.* Verum hac responsione non satis est factum adversario. Reponit enim: *Palliato sermone uteris, sed latere non potes, quia hic est tenor juramenti vestri: Sic te Deus adjuvet & haec sancta Evangelia, quin & hae reliquiae sanctorum, & sanctum sepulcrum Domini, & sancta crux.* Cetera inibi videri poterunt. Judaeos per legem jurasse ex notis Davidis Kimchi ad Esaj. VIII. 20. notum est. Legitima jurisjurandi verba sunt. Εὐλογητὸς κύριος ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν, ὁ ποιήσας τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ διαγάγων ἡμᾶς διὰ ξηρᾶς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν, ὅτι οὐ ψεύδομαι· εἰ δὲ καὶ διαψευδόμενος εὑρεθῶ, δώη μοι κύριος ὁ Θεὸς τὴν λέπραν τοῦ Γιεζῆ, καὶ τοῦ Ἀμμᾶ, Ἠλεὶ τοῦ Ἱερέως τὴν καταδίκην, καὶ ἀνοιξάτω ἡ γῆ τὸ στόμα αὐτῆς, καὶ καταπιέτω με ζῶντα, ὡς Δαθὰν καὶ Ἀβειρών. *Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum*

rum, qui coelum & terram condidit, perque ſiccum nos trans rubrum mare duxit, quoniam non mentior. Quod ſi mentiri deprehenſus fuero, det mihi Dominus Deus lepram Giezae & Ammae, Eli ſacerdotis ſupplicium, & os ſuum tellus aperiat, meque vivum abſorbeat, inſtar Dathanis & Abiromi. Multa hic ſuperiori formulae reſpondentia, in primis in devotione, inveniuntur: cetera religioſius ſunt digeſta. Leprae Giezae in exſecrationibus notiſſima mentio eſt. Sic Novella VIII. Καὶ ἔχω τὴν μερίδα τοῦ Ἰούδα, καὶ τὴν λέπραν τοῦ Γιεζῆ, καὶ τὸν τρόμον τοῦ Κάϊν. *Et habeam partem cum Juda & lepram Giezae & tremorem Cain.* Quis vero ille Amma, cujus ſive lepram ſive ſupplicium ſibi imprecari jubetur, ſi fallat? Putem male ſcriptam eſſe vocem, veneruntque mihi in mentem variae ſuper ea ſuſpiciones, quarum aliqua forte erit veriſſima. Καὶ τοῦ Ναμὰν, & *Namanis* ſc. lepra, de qua 2. Reg. V. Καὶ τοῦ Ἀμὰν, καὶ τοῦ Ἠλεὶ, ut Hamanis ſupplicium, de quo reginae Eſtherae hiſtoria, reſpiciatur, aut certe, καὶ ἅμα τοῦ Ἠλεὶ, *pariter & Eli poenam.* Elige, & quod probaveris, verum putabo, tametſi in Namanem magis inclino: Ejus enim nomen hujuſmodi diris innecti ſolitum fuit: Charta Reoli Archiepiſcopi Remenſis, addita Appendici alteri tom. I. Annal. Benedictin. Mabillonii, p. 702. *Et veniat ſuper*

 eum

eum lepra Naaman, quam puer Elizei Giezi per cupiditatem adeptus est. Sed elige. De Dathanis & Abiromi dictum antea est exitu. Id observatis adstruam, longe frequentissimam in devotionibus utriusque fuisse memoriam. In formula excommunicationis, uti vocant, vulgata à Steph. Baluzio tom. II. Capit. Reg. Franc. p. 679. *Excommunicamus & anathematizamus hunc furem, vel hunc malefactorem, & à liminibus sanctae Dei Ecclesiae sequestramus, ut aeternis suppliciis cruciandus mancipetur cum Dathan & Abiron.* Paullo aliter invenies in Charta fundationis Monasterii S. Hippolyti tom I. Thes. Anecdot p. 76. *In primis iram Dei incurrat, & cum Dathan & Abiron damnationem perpetuam acquirat, & ultima resurrectione acquirat poenam, & cum electis portionem non habeat.* Atque haec deinceps solennia videntur fuisse in ejusmodi libellis verba. Eadem certe leges in Charta fundationis Monasterii Ferretensis p. 78. Parco ceteris, quae proferri possent. Nolo enim barbaris dirarum formulis quemquam obtundere.

CAP.

CAP. XXVIII.

Disputatur de Corpiano haeretico Optati Milevitani. Videri Scythianum eum esse. Serapion Episcopus Thmueos explicatur & emendatur. Adferuntur Graeci scriptoris verba, quae Seneca vertit, & pro suis usurpavit. Alexander Lycopolitanus illustratus.

Uberrimus semper eorum fuit proventus, qui praejudicatis opinionibus abrepti, cum ceteris Christianis diffidere, & discipulos, qui eandem sectam & instituta sequerentur, legere sunt conati. Inter hos, si Optato Milevitano *L.* IV. de Schismate Donatistarum accredas, nomen professus est Corpianus. *Ut Valentinus*, inquit, *qui conabatur carnem Christo subducere: Horum est sermo, qui habuit cancrum ad fidei membra vexanda. Talis sermo est & Corpiani haeretici, qui negabat debere esse Martyria.* Id vero mirum est, neminem veterum, si Optatum excipias, hujus hominis meminisse: Quae caussa est, quamobrem viri Docti de Corpiano in diversa discedant: Mer. Casaubonus vocem in *Coprianus*, quasi à κοπρία esset, aut etiam in *Coddianus*, immutavit? Non diffitebor, potuisse impurum aliquem haereticum hoc titulo ex virtu-

 tibus

tibus ſuis ornari, quomodo ſcurras & nequam homines *Copreas* Suetonius, & Κοπρίους Graeci appellitant: Et notum eſt è Lactantio, fuiſſe hominem ſane dilertum, qui Cyprianum immutata una litera Coprianum vocaret, quaſi quod elegans ingenium & melioribus aptum ad aniles fabulas contuliſſet. Sed ubi locorum haereticum hunc inveniemus? Coddianos Gnoſticorum aliquos nominatos eſſe Epiphanius Haereſ. XXVI. memoriae prodidit: nec tamen à Coddiano, quem prorſus ignoravit, factionis conditore, nomen repetit, ſed à Codda, voce Syriaca, ut inibi videbis. Quid ergo? Si Jacob. Baſnagii Animadverſiones in Serapionem probes, Optatus minus caute Tertullianum legit, *Scorpiacum*que haereticum, ex titulo libri, quem prae manibus habebat, ſibi finxit: Quod ipſum Thom. Itigio in Diſſertat. de Haereſiarchis ſection. II. Cap 9. in mentem venerat. Ego vero in animum inducere non poſſum, tam negligenter tamque ſupine Afrum Epiſcopum verſaſſe ſuum popularem Tertullianum, ut ex ejus *Scorpiace*, indice libri, haereticum formarit, nuſquam pictum ſcriptumve. Si mei res arbitrii foret, Optato *Scythiani* nomen redderem: Paſſim in id graſſati librarii ſunt. In Diſputatione Archelai & Manetis, nunc *Excutianus*, *Scutianus*, modo *Stutianus*, ut Laur. Alexander

ander Zaccagnius monuit, exaratur. Optati MSS. praeferunt, *Scorpiani*, *Scaepiani*, quod à Scythiano non longe abest. Conveniunt in Scythianum, quae Optatus tradit. Manichaei, quorum praecursor & signifer Schythianus fuit, Martyria improbabant. Audi ipsum Manetem in Anathematismis ejus sectae ita impie loquentem. οὐκ εἰμὶ ἄσπλαγχνος, ὥσπερ ὁ Χριστὸς, οὐ γὰρ ἀρνήσομαι τὸν ἀρνησάμενόν με ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ καὶ τὸν ψευδόμενον διὰ τὴν οἰκείαν, Jac. Tollius οἰκίας, σωτηρίαν, καὶ τὸν διὰ φόβον ἀρνούμενον τὴν ἰδίαν πίστιν μετὰ χαρᾶς προσδέξομαι. *Non ego adeo immisericors sum, ut Christus. Non enim abnegabo, qui me coram hominibus abnegaverit: imo vero pro salute sua mentientem, fidemque suam ex metu negantem non sine gaudio recipiam.* Quae nisi argumento sint Maneti Martyria cordi non fuisse, prorsus nihil video: Nam qui latissimam abnegationibus Christianae professionis fenestram patefacit, tantum à Martyriis probandis abesse videtur, quantum religionis constans confessio ab ejus negatione discrepat. Atque haec credo caussa fuit, quare Faustus, praeceptoris sui vestigia premens, Catholicis ita insultaverit. *Qui desciscentes à gentibus, monarchiae opinionem primo vobiscum divulsistis, id est, ut omnia credatis ex Deo: Sacrificia vero eorum vertistis in agapas, idola in*

Martyres, quos votis similibus colitis: defunctorum umbras vino placatis & dapibus, apud Augustinum *L.* xx. contra Faustum Manichaeum c. 4. Jam vero Manes ex Scythiani fontibus suas areolas irrigavit, librorum ejus & Terebinthi ex asse heres, ut è Petro Siculo & Photio constat: Quare nemini mirum accidet Optatum Scythiano Martyriorum damnationem contribuere. Nunc provocante occasione & aliis erroris ducibus aliquid operae impendamus. Serapion Thmueos Episcopus contra Manichaeos p. 44. apud Canisium: Ὧδε μὲν Οὐαλεντῖνος προῆλθεν. ὧδε δὲ ὁ Μαρκίων. ὧδε δὲ ὁ Σιλιανός. ἄλλοθεν δὲ ὁ Φάνιος, τελευταῖον δὲ ἔκτρωμα τῆς πονηρίας ---- ἡ τοῦ Μανιχαίου προῆλθε μανία. *Sic Valentinus exivit. Sic Marcion: Sic Silianus: aliunde vero Phanius: postrema abortio improbitatis furor Manichaei est.* In his duo commemorantur haeretici, parum cogniti: Facile ad faciendum viris fuit Doctis, ut pro Σιτιανὸς decernerent Σκυθιανὸς esse exarandum. Neque ego refragarer, nisi Serapion praeiret: Postremum improbitatis abortum Manicheismum fuisse ait Atqui ea secta conditorem Scythianum habuit; quo ergo modo Manetis factio à Scythiani distinguetur? Nisi plane erro, Τατιανὸς Serapion dedit, quem plurima errorum semina olim sevisse notissimum est: Quis vero ille Phanius? Jac Basnagius

nagius *Marcianum*, celebrem ex Eusebio Docetarum primipilarem, intelligit, ejusque Serapioni nomen reddit. Mihi commentum non placet: nimis enim Marcianus & Phanius discrepant. Fuit, cum opinarer, animo nostri scriptoris fuisse obversatum Zaradem, quem & Zaruam & Zaranem appellant. Is Maneti praeluxit: Petrus Siculus Historia Manichaeorum p. 30. Ἦν δὲ πρὸ τούτου καὶ ἕτερος τῆς κακίας διδάσκαλος πού της, Ζαράνης ὀνόματι, ὁμόφρων αὐτοῦ ὑπάρχων. *Erat vero & ante Manetem alius hujus impietatis auctor, nomine Zaranes, huic consentiens.* Putabam id nomen in Oriente esse quaerendum, & plane respondere Hebraeorum זרח, quod & Tollio in mentem venisse video: Φάνιος autem ejus intertamentum: Confirmabat suspicionem Manichaeorum mos, quo doctorum suorum nomina commutasse leguntur. Manes servile nomen est. Teles apud Stobensem eo Capite, quo paupertas & divitiae comparantur: θαυμαστὸν μὲν γάρ φησιν εἰ Μάνης μὲν Διογένους ἄνευ δυνήσεται ζῆν. Διογένης δὲ ἄνευ Μάνητος οὐ δυνήσεται ζῆν. Quae, quod obiter moneo, Seneca de Tranquillitate c. 8. ita vertit. *Turpe est, inquit, Manem sine Diogene posse vivere, Diogenem sine Mane non posse* Servile hoc nomen discipulis in magistro displicebat: accedebat ad id, quod proxime abesset à Graeco-

rum

rum vocabulo, quo inſania notatur: Mutarunt inde in Manichaeum, vel Mannichaeum. Auctor Praedeſtinati *L.* I. c. 46. *Quem Graeci diſcipuli ejus devitantes nomen inſaniae, Mannichaeum vocare decreverunt, id eſt, quaſi Manna fundentem.* Nunc ultro mea vineta caedo & damno ſuſpicionem, partim quidem, quod oſtendi non poſſit, Zaradem ſive Zaranem & Φάνιον ejuſdem eſſe ſignificationis, & ſi poſſit, quis dixerit, Φανίου cognomine Zaradem fuiſſe uſum? Partim vero ob eam cauſſam, quam contra Scythianum urſi: Aeque enim in hunc atque illum valet. Quid ergo? Putem fuiſſe: ἀλλοθὲν δὲ Ὀφιανοί. quod cum ὁ Φάνιος literis paene congruit: Sunt Ophiani haeretici ex Clemente Stromatum *L.* VII. p. 765. non ignoti: Ophitae Tertulliano ac Epiphanio vocantur. Sin vero Ophianos ab hoc loco ablegatos velis, poterit non incommode ὁ Ἐπιφάνης legi, quem Carpocratis filium multa inter Chriſtianos innovare ex ejuſdem Clementis *L.* III. principio fuiſſe adortum juxta mecum noſti. Pergo ad alium. Alexander Lycopolitanus de Manichaeorum opinionibus p. 4. apud Combefiſium: Ὥσπερ ὁ λεγόμενος Μανιχαῖος, ὅς Πέρσης μὲν τίς ἐστι τὸ γένος, καὶ γὰρ τις Πάπος τοὔνομα πρὸς ἡμᾶς ἐγένετο τῆς τοῦ ἀνδρὸς δόξης ἐξηγητής. Litigant hic de Papo & in diverſa

ſcin-

ſcinduntur ſtudia: Guil. Caveus Diſſertat de Scriptoribus Eccleſiaſticis incertae aetatis *Agapium*, Manetis diſcipulum, qui *Heptalogum*, compoſuit, reponit: Baſnagius *Buddum*, quem Buddam alii vocant: Merito hic roges cui bono? Fuit inter Manetis ſectatores Paapis, quem cur alium atque hunc fuiſſe cenſeas, nulla cauſſa eſt. Vide Anathematiſmos à Cotelerio ad extremum *L.* IV. Recognitionum S. Clementis, & Jac. Tollio publicatos, & hominem tenebis.

CAP. XXIX.

Suidas variis locis emendatur. Pherecratis, Menandri, Heraclitique fragmenta illuſtrantur; Coſmae Indopleuſtae lux accenditur. Graeculorum commentum de Februario Camilli adverſario explodıtur. Suidae lapſus tanguntur: Heſychii quaedam verba explicantur de menſibus Hebraeorum, aliaque.

LUbricae ſeſe viae commiſſuro, ſi qua praeter ſpem labatur, nemo manum negabit: Idem ego, laceris Graecorum quorundam fragmentis medicinam facturus, mihi polliceor. Pherecratis apud Suidam hoc eſt: Ἀνυδρεύμεθα, ἀντλήσαι. Ὕδωρ κατέχεον κἀυτῆς κἂν ὑδρεῦσαι τὸ κάδον. Κραπάταλοις Φερεκράτης. Eſſe vero depravatiſſimum in confeſſo eſt: L.

 Ku-

Kusterus tanquam desperato manum admovere noluit. At quid tentasse nocebit, cum & praeter opinionem multi sanentur: Non obscurum, neque dubium est, quin Κορμανοὶ sit scribendum: Passim ita citatur, & commonefecit in Suidae indice vir Doctissimus. Cetera hoc modo refingebam: Ὕδωρ κατέχεες, κἆυθις ἀνυδρεῦσαι κάδῳ. *Aquam effudisti, iterum cado hauri.* Si nimium hoc putaveris, nec perfectae Pherecratis haec esse sententiae, retine omnia, solis κἆυθις.ἀνυδρεῦσαι commutatis: sic reliqua ex sequentibus, quae nusquam nunc sunt, pendebunt. Ejusdem Comici & hoc est: Ἄξιος, ὁ εὔωνος. Φερεκράτης Ἰπνῷ. ὁ δ' σῖφυς πιτινὸς πυρὸς ἄξιος. Sed nihilo sanius superioribus. Quid enim volunt, quae principio fragmenti posita sunt? Videor mihi poetae mentem perspexisse, si olim fuisse concesseris: ὁ δ' ἐστὶ πυ πτελεινοῖς πυρὸς ἄξιος. *Frumentum hoc fortasse avibus vile erit.* Locum hoc in comoedia potuisse habere, apertum est: &, si periclitari velis, numeris suis facile restituetur. Transeo ad Menandrum: Ἀποκρίθητι, inquit Suidas, Δημοσθένης. Ἀπόκριναι δεῦρο μοι παρελθών. Ἀποκρινεῖται δ' λέγουσι μᾶλλον, ἢ ἀποκριθήσεται. Μένανδρος Κανηφόρῳ.

Ὁ

"Ο δ' ἀποκρίνεται, κἂν ἐγὼ λέγοιμί σοι
Ὑποβολιμαῖα. ὡς μηδὲν ἀποκρινόμενα δ'
Οὕτω λαλεῖν.

Vitiosa haec sunt, & à viris eruditis, qui nuper magnis animorum aestibus de Menandri fragmentis egerunt, neglecta Haud dubie meliora forent, in tanta horum virorum cura, si quid operae in ea fuisset insumptum. Putem duplex adferri à Suida Menandri fragmentum, ut verbi, de quo sermo est, usus illustretur, alterum ex Κανηφόρῳ, alterum vero ex Ὑποβολιμαίῳ, proptereaque rescribendum esse:

Μένανδρος Κανηφόρῳ.
"Ο δ' ἀποκρίνεται, κἂν ἐγὼ λέγοιμί
σοι.
Ὑποβολιμαίῳ.
Ὡς μηδὲν ἀποκρινομένη δ' οὕτω λαλεῖς.

Atque ita, quae nunc luxata & prorsus lacera circumferuntur, sibi constabunt: Si cui tamen λαλεῖν probetur, dicendum erit, deesse, quae sententiam absolverent: Utcunque fuerit, in posterum jungi haec poterunt praestantissimi Comici reliquiis. Atque haud scio, an in earundem censum venire debeat, quod Cosmas, cui vulgo Indopleustae nomen est, servavit L. v. Cosmographiae p. 197. Ἐπ

αὐλαίας καλεῖ τὰς κορτίνας, ὅτως δ' ἐκάλεσαν αὐτὰς καὶ οἱ ἔξωθεν Ἀττικοὶ λέγοντες αὐλαίαν, τὸ μέγα καὶ ποικίλον παραπέτασμα. Ὑπερίδης ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ κατὰ Πατροκλέους λόγῳ. οἱ δὲ ἐννέα ἄρχοντες εἱστιῶντο ἐν τῇ στοᾷ, φραξάμενοι τὸ μέρος αὐτῆς αὐλαίᾳ. ὁμοίως καὶ Μένανδρος. συμπεσ', ἐλέφαντα. μύρον, οἶνον, αὐλαίαν. Sic lego, malo in editis est συμπεῖον, aliaque contra Graeci sermonis consuetudinem. Habet Jul. Pollux eadem Hyperidis verba *L.* IV. §. 122. Sed περιφραξάμενοι & αὐλαίαις edit, cui nescio an praeferri debeat Cosmae αὐλαίᾳ. Sane Pollux de usu vocis in multitudinis numero nihil praemiserat. Verum hoc per quam leve est. Alia agamus: Adfert Musonius elegans Heracliti dictum apud Stobensem eo capite, quo de Continentia & Sobrietate agit. Id turpiter inibi foedatum, suo nitori reddendum est: Οὕτω δὲ ἂν καὶ τὴν ψυχὴν ἡμῶν ὑπάρχειν, καθαρὰν τε καὶ ξηρὰν, ὁποία οὖσα ἀρίστη καὶ σοφωτάτη εἰς πᾶν, καθάπερ Ἡρακλείτῳ δοκεῖ λέγοντι, οὕτως ἂν. γῆ. ξηρὴ ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη. Sic distinguunt, vertuntque. *Ita fore, ut anima nostra pura & sicca evadat, qualis videlicet optima sapientissimaque in omnibus habetur. Quemadmodum Heraclito videtur, dicenti: ut lux sicca, sic anima sapientissima optimaque.* Equidem haud vidi melius. Nam quae tandem lux illa sicca est, quicum anima componitur? Et an οὕτως

ἂν

αὖ γῆ ξηρὴ eſt *ut lux ſicca*, ſi vel maxime αὐγῇ legas? Muſonius, ſicuti ex praemiſſis apertiſſimum eſt, lucem illam in Heracliti verbis non invenit: Eum ſi ſequaris, philoſophi ſententia erit: *Anima ſicca ſapientiſſima pariter atque optima eſt*. Sublato itaque gloſſemate, quod intempeſtive hic inculcatum eſt, Heracliteum fuerit: Αὔη ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη. Atque ita prorſus Stobenſis illo capitulo, quo Temperantiam veterum teſtimoniis confirmat, citavit quamquam & illic margini appactum eſt αὐγῇ ξηρῇ. Natus error è ſciolis eſt, qui Heracliti vocem ex Muſonio explicuerunt, ut Heſychius, Αὔας, ξηράς. Neque opus eſt, ut commonefaciam οὗτος Muſonii eſſe, & praeeunti vocabulo arctiſſime conjungendum: id enim nemo non agnoſcit. Redeo ad Suidam, qui in Βρέννος ex veteri quodam ſcriptore de Camillo, barbarorum, qui cum Brenno venerant, victore, *εἰς κρίσιν ἀγαγὼν τὴν ὑπόθεσιν, ἀπέδειξε πάντων γεγονέναι τῶν πεπραγμένων αἴτιον τὸν Φεβρουάριον, examine instituto oſtendit, Februarium auctorem eſſe omnium, quae accidiſſent.* Unde domo & ex qua gente ille Februarius? L. Kuſterus aſteriſco notavit, neſcio an corruptum ratus. Ego olim in eas me abiiſſe cogitationes non infitiabor, Livium ſecutus *L.* VI. c. I. *Quum civitas in opere ac labore aſſiduo reficiendae ur-*

bis teneretur, interim Q. Fabio simul primum magistratu abiit ab C. Marcio tribuno plebis dicta dies est, quod Legatus in Gallos, ad quos missus erat orator, contra jus gentium pugnasset. Nam eundem ab utroque scriptore commemorari existimabam. Nunc secus est: Φεβρουάριος ex Suidae verbis non est eximendus. Auctor quicunque fuerit, quem Grammaticus exscripsit, fabellam, quae sub Constantinopolitanis Imperatoribus increbuit, amplexatus est: Spargebatur Camillum à Februario in exilium esse actum: reducem vero parem gratiam retulisse Februario, & in ejus injuriam mensi cognomini dies aliquot detraxisse. Excerpta Dionis manuscripta in Plinianis Salmasii Exercitationibus p. 14. εἰς δὲ ἐξορίαν Φεβρουάριος ἄγεται καὶ διώκεται, Κάμιλλος δὲ καὶ τὸν ἐπώνυμον αὐτοῦ μῆνα παρὰ τοὺς ἄλλους κολοβοῖ. Noli credere haec esse Dionis Cassii: nunquam ille ita deliravit, ut haec vera esse in animum induceret. Recentioris alicujus Graeculi sunt, qui fabulis, quas fecerat, Dionem inscripsit: Namque hunc in alia omnia abiisse aliunde constat. Putem ejus fuisse scriptoris, quem Grammaticus noster in Φεβρουάριος exscripsit. Partem ultimam verborum, quae in Salmasii excerptis Dioni tribuuntur, inibi etiam invenies, sed correctiorem: καὶ τὸν ἐπώνυμον αὐτοῦ μῆνα παρὰ τοὺς ἄλλους ἐκολόβωσε. Si tuto acquiescere in Cl.

Ku-

Kuſteri conjectura poſſemus, Joan. Antiocheno, ex quo excerpta dedit Valeſius, haec omnia accepta eſſent ferenda. Sed cum pleriſque Graeculis haec placuerint, nulloque indicio appareat, Joannem probaſſe, ego nihil temere finiverim. Cedreno tanti viſa ſunt, ut Compendio ſuo digna putaret, quamquam, qui ejus ſtupor eſt, Sextilem menſem denominatum eſſe Februarium p. 124. edit. Xylandri adnectit. In Γύλων de Demoſthenis Oratoris gente haec habet Suidas: Δύο δὲ ἔχων θυγατέρας, ἔπεμψεν εἰς τὴν πατρίδα. ὧν τὴν μὲν μίαν ἔγημε Φιλόχαρις, τὴν δὲ ἑτέραν Κλεόβουλος. *Duas cum Gylon filias ſuſcepiſſet, ac in patriam miſiſſet, unam earum Philocharis, alteram vero Cleobulus duxit uxorem.* Quae ſi Grammaticus ſcripſit, in graviſſimos ſeſe errores induit. Jam diu eſt, cum Meurſius *L.* VI. Lectionum Atticarum c. 29. ex Demoſthenis Orat. II. in Aphobum condocefecit, Democharem alteram Gylonis filiarum duxiſſe, legendumque eſſe in Suida, τὴν μὲν μίαν ἔγημε Δημοχάρης: bene profecto & ad hiſtoriae veritatem. Quid vero faciemus Cleobulo, quem certiſſimum eſt, non fuiſſe Gylonis generum? Ut prorſus cum ceteris Suidas conſentiat, reddendum illi eſt, quod neſcio quo decurtatum eſt modo: τὴν δὲ ἑτέραν Κλεοβούλην Δημοσθένης. Hoc enim nomine Demo-

ſthe-

sthenis mater insignis fuit. Plutarchus in Rhetorum Vitis: Δημοσθένης Δημοσθένους καὶ Κλεοβούλης τῆς Γύλωνος θυγατρὸς, τῶν δήμων Παιανιεύς. Libanius in Demosthenis vita: καὶ γυναῖκα ἀγομένου Σκύθιν τὸ γένος, ἐξ ἧς ἦν τοῦ Δημοσθένους ἡ μήτηρ Κλεοβούλη. *Imbi Gylon uxorem, genere Scytham, duxit, è qua nata est Cleobule, Demosthenis mater.* Fortassean, cum semel Demosthenis nomen esset eratum, aut incuria quadam neglectum, rudis harum rerum librarius Cleobulen jussit esse Cleobulum, fecitque imprudens ex femina virum. Non levioribus, ut hoc adjungam, obsitus est maculis Joan. Tzetzes, genus Oratoris enarrans Chiliad. VI. 37.

> Ὁ Ῥήτωρ Δημοσθένης δὲ υἱὸς ἦν Δημοσθένους,
> Ἀνδρὸς ΠΑΛΑΝΙΕΩΣ τε καὶ ἐλευθέρου φύσιν,
> Μητρὸς ΣΥΝΘΙΔΟΣ δὲ υἱὸς, ὅπως δὲ τοῦτο, μάθε.
> Μητρὸς πατὴρ τοῦ Ῥήτορος ἦν κεραμεύς τις ΓΛΥΚΩΝ.

vertuntur hoc modo.

> *Rhetor autem Demosthenes, filius erat Demosthenis*
> *Viri Palaniei & liberi natura,*
> *Matris autem Synthidis, quando autem hoc, disce:*
> *Matris pater rhetoris erat figulus quidam Glycon.*

Non

Non opus erit, ut oſtendam, quid Tzetzes reliquerit: Unicuique ex ſuperioribus id cognitu eſt facillimum. Rurſus ad Suidam revertor, ut ſi quis eum in his ab errore immunem praeſtare nolit, exemplo adjuvetur. De Sphacteria haec habet: Σφακτηρία. τόπος στενὸς τῆς Λακωνικῆς, διείργων, καὶ ἀποχωρίζων, καὶ ἀποφράττων τὰς ἀπὸ τῆς Θεσσαλίας καὶ Λακεδαιμονίας εἰσβολάς. ἔνθα καὶ Λεωνίδης πρότερον Λακεδαιμονίων βασιλεὺς ἀγωνιζόμενος τετελεύτηκε. Locum eſſe anguſtum Laconicae ait, dirimentem & intercludentem aditus à Theſſalia & Lacedaemonia: ubi & Leonides Lacedaemoniorum olim rex pugnando occubuerit. In quibus, ut vides, Laconica regio Theſſaliae paene jungitur, & in utriuſque finibus Sphacteria collocatur praeter omnium Geographorum ſententiam ipſiuſque rei veritatem. Actum agerem, ſi pluribus oſtendere id conarer. Vide vero, quid hominem in hos errores implicuerit: Sphacteria inſula eſt, Pylo Meſſenio adjacens & praetenta: Pylum Scholiaſtes Ariſtophanis ad Equites ψſ. 55. & Pylas ſeu Thermopylas, ad quas Leonides fortiſſime pugnans cecidit, turpiſſimo peccato pro iiſdem habuit? Ἐν τῇ Πύλῳ. τόπος δ᾽ ἐστὶ τῆς Λακωνικῆς στενὸς, διείργων καὶ ἀποχωρίζων τὰς ἀπὸ Θεσσαλίας καὶ ἑξῆς. Suidas coecum hunc ducem ſecutus, Pylas, Pylum & Sphacteriam per-

 miſ-

miſcuit, & quod alter de Pylo, ipſe ſecure de Sphacteria in Lexicon ſuum tranſcripſit, facilique adeo labore Laconicam Theſſaliae admovit. Ut vero haec excuſari nullo poſſunt modo, ita erroris abſolvendum opiner ſcribentem: Γερδιαῖος. μὴν ὁ Σεπτέμβριος κατὰ Μακεδόνας. *Gordiaeus. Menſis September apud Macedonas.* Falſum quidem eſt, hoc nomine menſem fuiſſe Macedonicum. Sed ſi in MSS. hoc obvium ſit, crediderim omiſſum hic eſſe verum menſis nomen, ſcripſiſſe vero Grammaticum.

Γορδυαῖος.
Γορπιαῖος. μὴν ὁ Σεπτέμβριος κατὰ Μακεδόνας.

Prius vocabulum gentile eſt regionis Gordyaeae in Perſide: id menſem Gorpiaeum hinc exturbavit. Eſſe autem Gorpiaeum Macedonibus eum menſem, qui Romanis September, Chryſoſtomus oſtendit Homil. in Natal. Chriſti p. 362. Heſychius cum Suida hic diſcordare videtur: Componit is Hebraeorum menſem Ab cum Gorpiaeo. Ἄβ. ὁ Γορπιαῖος μήν. Ab, ſi Joſepho credimus *L.* IV. Ant. c. 4. & VI. c. 4., Lous eſt. Loum vero eundem eſſe ac Auguſtum Chryſoſtomus in ea, quam citavi Homilia, aliique docent. At haec diſcordia mox interquieſcet, ubi animad-

ver-

verteris, menſes Judaeorum non prorſus reſpondiſſe Macedonicis, nec Heſychium eodem fuiſſe uſum laterculo menſium Macedonicorum & Hebraeorum, quo Joſephus. Scribit Lexicographus. Νισὰν, ὁ Ἀρτεμίσιος μήν. *Niſan, menſis Artemiſius.* Joſephum ſi audias, Niſan erit Xanthicus, & Artemiſius Jiar, *L.* I. Antiq. c. 3. §. 3. τὸ Νισᾶν, ὅς ἐστι Ξανθικός. & *L.* VIII. c. 3. §. I. Μηνὶ δευτέρῳ, ὃν Μακεδόνες μὲν Ἀρτεμίσιον καλοῦσιν, Ἑβραῖοι δὲ Ἰάρ. Alibi Heſychius Tebet & Peritium, ut eoſdem, conjungit. Τηβὴθ. Περίτιος μήν. Scio in notis ſecundam vocem in πέρισος eſſe commutatam. Sed hoc commento, cujuſcunque demum ſit, carere poſſumus. Tebet menſis eſt decimus, ut ex Eſtherae Hiſtoria c. 11. 16. notiſſimum eſt, debetque pro Joſephi rationibus Macedonum menſi Audynaeo convenire, non, qui eum ſequitur, Peritio. At Heſychius, cum menſis Tebet partim incurreret in Audynaeum, partim in Peritium, poſterioris illi nomen indidit. Eadem ratio obtinet in Niſan & in Ab, quorum illius una pars Xanthico, altera Artemiſio, hujus vero prior Loo, poſterior Gorpiaeo convenit. Necdum à Suida recedo. In οἶκτος hoc veteris poetae fragmentum ſervavit.

> Οἶκτος δὲ Νύμφας εἷλεν, αἵ τ' ἐρυνίμου
> Αἴτνης παρωρείησιν Εὐμέθου πατρὸς
> Ἔχουσι δινήεντος ὑγρὸν οἰκίον.
> *Miseratio vero Nymphas cepit, quae prae-*
> *scuae*
> *Ad Aetnae radices Eumethi patris*
> *Incolunt vorticosi humidam domum.*

Id integrum & omni ex parte sanum ad nos devenisse non videtur. Memorari in illo flumen, quod Aetnae radices alluat, apertissimum est Quis vero omnium est, qui in Sicilia & circa Aetnam fluvium Eumethum fluxisse tradiderit? Nemo profecto. Symaethum ibi omnes norunt, fuse à Phil. Cluverio *L.* I. Siciliae Ant. c 10. descripti. Rigabat is Aetnae montis pedem. Strabo *L.* VI. p. 272. hoc nos condocet: Κεῖνται δ' ὑπὲρ Κατάνης τὰ Κεντόριπα, συνάπτοντα τοῖς Αἰτναίοις ὄρεσι, καὶ τῷ Συμαίθῳ ποταμῷ ῥέοντι εἰς τὴν Καταναίαν. *Sita sunt Centoripa supra Catanam, montes Aetnaeos attingentia & Symaethum flumen, quod in agrum Catanaeum meat* Noli ergo addubitare, quin fuerit in versu secundo:

> Αἴτνης παρωρείησι Συμαίθου πατρός.

Committit praeterea in legem Pediam prioris senarii vox ultima: Vir Celeb. Tib. Hemsterhuisius, qui in eandem mecum de Symae-

tho sententiam concesserat, eam in ἐρεινόμοι, aut certe in ἱεροβρόμου transmutandam censebat, ratus decerptos hos esse versus ex Sosithei Daphnide, quod vero prorsus videtur simile.

CAP. XXX.

Disputatur de Alogis, & opinionibus, ob quas in haereticorum catalogum ab Epiphanio sunt relati. Ostenditur non Montanistas, sed ob rejectum Λόγον Θεοῦ, *Dei Verbum fuisse famosos. Obiter Epiphanii, Augustini, Damasceni, auctoris Praedestinati, & Joan. Cornubiensis verba explicantur & illustrantur.*

SEctam olim fuisse, cujus studiosis Alogorum inditum erat cognomen, ex Epiphanio aliisque notissimum est: Non item, quae eorum opinio, quive fuerit error, ab quem in haereticorum catalogum sunt transcripti. Joannes Damascenus quid senserint breviter ita explicuit: Ἄλογοι ὑφ' ἡμῶν κληθέντες. οἱ τὸ εὐαγγέλιον τὸ κατὰ Ἰωάννην ἀθετοῦντες καὶ τὴν ἀποκάλυψιν αὐτοῦ, διὰ τὸ τὸν ἐλθόντα ἐκ τοῦ πατρὸς Θεὸν λόγον, ὄντα ἀεὶ μὴ δέχεσθαι. *Alogi à nobis nominantur, qui Evangelium & Apocalypsin Joannis rejiciunt, quod ipsi Deum Verbum, qui ex Patre venit, aeternusque est, non recipiant.* Haec,

Haec, si quid video, docere videntur: Dictos esse Alogos, quia λόγον, Verbum rejicerent: Sprevisse Evangelium Joannis & Apocalypsin, quandoquidem sententiae ipsorum contra irent. Deum Verbum & Dei Verbum in utroque libro Joannes enarravit. Ipsi τὸν Λόγον, Verbum Dei aeternum repudiabant, nec Deum fateri volebant. Inde Joanni utrumque abjudicabant librum. Ne vero solo Damasceno niti videamur, ad Epiphanium adeamus Haeres. L. I. C. 28. Ἠλέγχθησαν καὶ οἱ ἀποβαλλόμενοι τὸ κατὰ Ἰωάννην Εὐαγγέλιον, οὓς δικαίως Ἀλόγους καλέσομεν, ἐπειδὴ τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ ἀποβάλλονται, τὸν διὰ Ἰωάννην κηρυχθέντα πατρικὸν Θεὸν Λόγον, ἀπ᾽ οὐρανοῦ κατεληλυθότα, καὶ σωτηρίαν ἡμῖν ἐργασάμενον. *Coarguuntur illi quoque erroris, qui Joannis Evangelium abjiciunt, quos Alogos merito vocabimus, quoniam Logon i. e. Dei Verbum, annuntiatum à Joanne, repudiant, Patris Verbum & Deum, qui è coelo descendens salutem nobis operatus est.* Nihil haec à superioribus abeunt. Vera itaque caussa abjecti Evangelii Joannis Alogis ea fuit, quam dixi. Ut eam tamen colore tegerent, discordare Joannem cum ceteris Evangelistis sunt criminati: Scribere enim Jesum mox à Baptismo legisse sibi discipulos, cum ceteri inter Baptismum & delectum Apostolorum moram in deserto, & factam

ctam à diabolo tentationem interponant. Ipsos audire operae erit c. 4. Latine loquentes: *Quid, inquiunt, ait Joannes: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Item, Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à patre, plenum gratia & veritate. Et statim Joannes testatur & clamat dicens: Hic est, quem dixi vobis. Et: Hic est agnus Dei tollens peccata mundi. Deinde ita scribit, Et dixerunt illi, qui audierant, Rabbi ubi manes? Postea vero, Postera die, inquit, voluit abire in Galilaeam, & invenit Philippum, & dicit ei Jesus, sequere me: Paullo post vero ita prosequitur: Et post triduum nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, & vocatus est Jesus, & discipuli ejus ad nuptias, & erat ibi mater ejus. Evangelistae vero ceteri narrant* XL. *dies illum in deserto mansisse, & à diabolo fuisse tentatum; ac tum demum redeuntem discipulorum habuisse delectum.* Quae objectiones quam sint leves & longe quaesitae, non est, ut hic commonstretur. Id instituto meo sufficit, ipsis caussam & colorem rejecti Evangelii Joannis fuisse Verbum Dei, & quod Joannes in quibusdam cum ceteris videretur dissentire. Praeter haec aliam nuper vir Doctus in Restituto, ut vocat, Evangelii Joannis initio caussam attulit: Censuit Alogos ra-

rationibus mere Montanisticis inductos Evangelium id damnasse. Christum in eo Paracletum Apostolis promittere, qui demum in Montano uti dicebant, apparuerit. Apostolos enim Spiritum S. non Paracletum accepisse. Merito hic quaesiveris, qua auctoritate id constet. In rebus adeo à nostra memoria remotis nemini temere creditur, nisi quod propositum est, testimoniis liquidisve rationibus comprobetur: Horum ego nihil hic reperio. Fateor in Irenaeo *L* III c. II. legi: *Alii vero ut donum Spiritus frustrentur, - illam speciem non admittunt, quae est secundum Joannis Evangelium, in qua Paracletum se missurum Dominus promisit.* Haec, sive totum Evangelium, sive eam duntaxat partem, qua agitur de Paracleto, respiciant, neque enim id nunc curamus, agnoscimus prima fronte ad Montanistas videri referenda. Cum tamen eos non nominarit Irenaeus, plane certum id non est. Veteris enim & N T scripturam Montanistae probabant, teste Epiphanio. Tertullianus, etsiamsi Montani opinionibus imbutus, Joannis Evangelium recepit. Amplectitur etiam Passionis S. Perpetuae auctor, quem Valesius non sine caussa sectatoribus Montani annumeravit. Fac vero, Irenaeum unice Montanistas illis verbis tetigisse, quid ad Alogos id, quos nusquam Irenaeus commemoravit, nec

nec quisquam ejus aequalium? Imo, dicet, plurimum, cum & Alogi fuerint Montanistae, & ceterea Orthodoxi, sive ut alibi invenio, Orthodoxi in dogmate Trinitario. Pone id quoque verum esse, vel sic tamen nondum apparet, ex ea caussa Joannis Evangelium repudiasse. Neque enim omnes Montanistae illum Evangelistae librum jugulabant; Tacet quoque Epiphanius, cui haereseos hujus notitiam debemus, illam caussam. Videamus nunc, quid illis veri insit. Et ut cum posteriore initium faciamus, largimur, Montanistas cum Catholicis eadem de Patre, filio & Spiritu S. sensisse, nixi Tertulliano & Epiphanio Haeres. XLVIII. Alogos autem juxta cum Montani discipulis hac in patre opinatos esse, qui credere possumus? Ἀλλότριοι πάνυ παντάπασιν, inquit Epiphanius Haeres. LI. c. 2. ὑπάρχοντες τοῦ κηρύγματος τῆς ἀληθείας, ἀρνοῦνται τὸ καθαρὸν τοῦ κηρύγματος. *Ergo illi à doctrina veritatis prorsus abhorrentes sinceram fidem abnegant.* Eosne Orthodoxos dixeris, qui a veritate toto, quod dicitur, coelo recedunt? Hinc censendi sunt cum Ecclesia Catholica conspirare, qui Θεὸν λόγον ἐλθόντα ἐκ πατρὸς καὶ ὄντα ἀεὶ, *Deum verbum, ex Patre prodeuntem & aeternum*, ut apud Damascenum est, non recipiunt? Denique quis eos sanos in doctrina Trinitaria appellaverit, quos Ver-

bum, Dei filium, penitus quasi blasphemiam exsecratos auctor Praedestinati ait? Epiphanium tamen inquies adfirmare, paria eos cum Orthodoxis sentire c. 4. Δοκοῦσι γὰρ καὶ αὐτοὶ τὰ ἴσα ἡμῖν πιστεύειν. Sed nisi ineptior fuerit, quam vulgo habetur, haec ad dogma Trinitarium non retulit. Ipsa ea, quae superioribus subjungit, indicio esse possunt. Μὴ κατέχοντες δὲ τὰ ἀσφαλῆ τοῦ ἐκ Θεοῦ οἰκονομηθέντος ἡμῖν διὰ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου κηρύγματος: *Sed cum ad ejus doctrinae, quam per Joannem Deus nobis impertitus est, soliditatem non adhaerescant.* Illis enim indicat, diffidere eos cum ceteris Christianis in doctrina de Λόγῳ, Verbo, ejusque incarnatione, quam vocant, proposita in Joannis Evangelio. Hoc docet quoque Primasius, seu quis alius libri auctor est, quem Praedestinatum inscripsit Sirmondus: *Tricesima haeresis Alogiorum. Propterea sic vocantur, quia Verbum Dei esse filium accipere nolunt, in tantum, ut Evangelium S. Joannis dicant ipsius non esse, nec Apocalypsin accipiunt ejusdem Joannis. Quid multa? Omnia nobiscum sapiunt, Verbum, Dei filium, penitus quasi blasphemiam exsecrantur. Hos Philo Episcopus saepe superavit.* Verba haec, ut quisque videt, deturpata sunt, & ipsa sibi contraria. Mihi dubium non est excidisse, *nisi quod. Omnia nobiscum sapiunt, nisi quod Verbum, Dei filium.*

&

& reliqua. Sic apte cohaerescet oratio. Vir Doctus *non exsecrantur* scriptum fuisse arbitratur. Sit ita, neque enim litigare libet. Exsecrabantur ergo Verbum, licet non penitus. At enim illi unquam in Orthodoxis fuerunt habiti, qui aliquo saltim modo Dei Verbum exsecrabantur? Creditumne fuit, eos Catholicis paria facere in dogmate de S. Trinitate? In aliis rebus cum Christianis, quos Orthodoxos vocant, consentire potuerunt. Id Epiphanius & auctor Praedestinati innuunt. In his, quibus diximus, magnum inter utrosque discrimen. Atque hoc & inde dilucescit, quod Epiphanius Theodotum coriarium, qui, Christum hominem docens, verum fuisse Deum infitiabatur, appellet Haeres. LIV. ἀπόσπασμα ἐκ τῆς προειρημένης Ἀλόγου αἱρέσεως, τῆς ἀρνουμένης τὸ κατὰ Ἰωάννην Εὐαγγέλιον, καὶ τὸν ἐν αὐτῷ ἐν ἀρχῇ ὄντα Θεὸν λόγον. *Surculum deplantatum è memorata haeresi Alogorum, abnegante Joannis Evangelium, & qui in eo perscriptus Deus Verbum, qui in principio erat.* Quid enim aliud haec significant, ac Alogos non dissensisse à Theodoti doctrina, Christum, Dei Verbum, verum Deum abnegante? Haud equidem ignoro, recurrere denuo Artemonium ad Montanistas, & in Epiphanium detonare. Sed haec rem non expediunt, nedum conjecturae, quibus saepe plus nimio indulgetur. Cur por-

ro toties Montaniſtae huc advocantur, quos vidimus in doctrina de Trinitate cum Alogis longiſſime diſſediſſe? Et ſi inquiſiveris, probatiſſimas Montani amicis opiuiones in Alogis non inveneris Summa ſectae Montaniſticae erat Paracletus, prophetiae, viſiones. De Alogis ſuis nihil horum tradit Epiphanius, non Damaſcenus, nedum auctor Praedeſtinati Nobisne permiſſum eſt poſt tot ſeculorum decurſum hominibus obtrudere, quod, qui ſectam dedita opera deſcripſerunt, ignorarunt? Sed quid multa moror? Alii erant Alogi ac Montaniſtae, poſt hoſce nati: Epiphanius Haereſ. LI. c. I. Καθεξῆς δὲ τούτων τῶν αἱρέσεων μετὰ τὴν κατὰ Φρύγας τε καὶ Κυιντιλιανοὺς καὶ Τεσσαρεσκαιδεκατίτας, οὕτω καλουμένους, ἀνεφύη τῷ βίῳ ἄιρεσις ἑτέρα. *Poſt Cataphrygum, Quintilianorum & Quartadecimanorum ſectas nova quaedam in orbem terrarum erupit haereſis.* Si Alogorum factio, ut ait, poſt Cataphrygas ſive Montaniſtas eſt orta, utique non eadem eſſe poteſt. Neque hoc tantum loco, ſed & infra c. 33. Alogos manifeſto & Montani diſcipulos disjungit. Atque haec de Alogis ſufficere poterant. Quia tamen Cl. Lampio in Prolegomenis Comment. in Joan. p. 139. eos defendere & poſt accuratiſſimum Tillemontium excuſare libuit, immoremur aliquantiſper diſputationi. Errare ait Damaſcenum, & cum eo au-

auctorem Praedestinati. Erraverit ergo cum utroque oportet Augustinus, qui tamen dicitur sententiam Epiphanii recte exhibuisse, Haeres. XXX. *Alogiani propterea sic vocantur, tanquam sine verbo, λόγος enim Graece Verbum dicitur, quia Deum Verbum recipere noluerunt, Joannis Evangelium respuentes, cujus nec Apocalypsin accipiunt.* Nam Augustini *Deum Verbum recepere nolle* utique idem est ac Damasceni τ̀ ἐλθόντα ἐκ τοῦ πατρὸς Θεὸν λόγον, ὄντα ἀεὶ, μὴ δέχεσθαι. *Deum Verbum ex patre progressum aeternumque non recipere.* Si vero lapsi fuerint Augustinus, auctor Praedestinati & Damascenus, duce Epiphanio, cui primo hujus sectae notitiam debemus, in foveam inciderunt: Paria is docet in Synopsi *L.* II. Haer. V. Ἄλογοι ἀφ' ἡμῶν κληθέντες, οἱ τὸ εὐαγγέλιον Ἰωάννου, καὶ τ̀ ἐν αὐτῷ ἄνωθεν ἀπὸ πατρὸς ἀεὶ Θεὸν λόγον παρεκβάλλοντες. *Alogi à nobis ita nominati, qui Joannis Evangelium, Verbumque Deum ex patre natum, coeloque demissum abnegant.* Mitto nunc, quae in superioribus producta sunt, rem eandem adfirmantia. Junge illis, quod Joan. Cornubiensis in Eulogio suo habet tom. V. Thes. Anecdot. Edm. Martene p. 1701. *Et* confiteamur *contra Aligios Christum non modo hominem esse, sed hominem, qui ex tempore coepit, & Verbum, quod erat in Principio.* A-

 ligios

ligios recte nuper in Appendice sua Vir Doctus in Alogios mutavit. Cetera omnia servanda putem: significat Magister Joannes, Alogios hominem duntaxat Christum recepisse, se vero confiteri debere, Christum & hominem esse, qui suo tempore natus sit, & Verbum, quod erat in principio, sive Deum, qui ante res creatas apud Patrem fuerit. Ut tandem ergo finem huic disquisitioni faciamus: si credendum est Epiphanio, fuisse homines, quibus ipse Alogorum imposuit cognomentum, admittendum & id videtur, de Λόγῳ, Verbo, non optima sensisse. Fateor caussam Dei Verbi contra hos haereticos Epiphanium non defendisse, sed fecerat contra alios abunde, neque opus erat ea repetere. Id profiteor me demirari, visum fuisse viro optimo in Prolegomenis, non accuratam esse Petavii hanc versionem: καὶ δοκοῦσι λοιπὸν ἐπιλαμβάνεσθαι τῆς ἁγίας καὶ ἐνθέου διδασκαλίας. *Ex quo deinceps Sacro Sanctam ac Divinam illius doctrinam redarguunt*, Haeres. LI. c. 4. Neque enim quidquam habet, quod opinionibus Alogorum sit adversum, aut in genium linguae incurrat. Nunquam profecto ipse, si liceret, infitiaretur, ἐπιλαμβάνεσθαί τινος Graeci sermonis scriptoribus idem saepe adsignificare, quod Latinis redarguere & reprehendere.

CAP.

CAP. XXXI.

Lucani, Valerii Flacci, Papinii Statii verſus explicantur. Marte ſubacti quinam? Crines de fulmine. ἔθειραι *pro lumine emicante. Maximo Philoſopho ſua vox reddita, & alia.*

QUid obſtabit, quominus aliquot veterum poetarum verſus ad examen revocem, &, ſi qua fieri queat, medicinam illis adhibeam. Ordiar cum Lucano, qui *L.* VII. Pharſaliae, 332.

> *Stant ordine nullo,*
> *Arte ducis nulla: permittunt omnia fatis.*
> *Si totidem Magni ſoceros, totidemque petentes*
> *Urbis regna ſuae, funeſto in Marte locaſſet,*
> *Non tam praecipiti ruerent in praelia curſu.*

Ita edunt ſcripti libri, quorum auctoritate motus H. Grotius *locaſſes*, quod olim amplexus fuerat, damnavit. Sequar Viri Magni judicium, nec cum eo hac parte diſſentiam: unde vero pendebit, & quis *locaſſet*? Caeſar, inquies: idem ergo erit, ac ſi dixerit, ſi Caeſar totidem Caeſares totidemque Pompejos locaſſet, quod an durum ſis opinaturus neſcio, mihi certe videtur: ne nunc addam,

ſub

ſubintellecti Caeſaris in proxime praemiſſis mentionem non eſſe. Poſſunt minima trium literarum immutatione hae turbae componi, modo fuiſſe olim largiaris:

Si totidem Magni ſoceros, totidemque petentes
Urbis regna ſuae, fors iſto in Marte locaſſet.

Atque hoc innuiſſe vero ſimile eſt Voſſianum gloſſatorem, qui *fortunam* hic eſſe intelligendam ſignificavit, ut praeſtantiſſimus Oudendorpius nos docuit. Poterit Juſtinus praeter alios dictionem adfirmare *L.* v. 11. *Sed cum in bello fors praelii utrumque fratrem pugnae obtuliſſet, prior Artaxerxes a fratre vulneratur.* Ejuſdem Lucani de Pompejo poſt Pharſalicam cladem fugam ingreſſuro haec ſunt ỳſ. 675.

Sed tu quoque, Conjux,
Cauſſa fugae, vultuſque tui, fatiſque negatum
Te praeſente mori.

Quae ſi ita poeta ſcripſerit, ſatis effeminatum nobis expinget Pompejum, qui ob Corneliae vultum, quem εὐπρεπῆ fuiſſe ex Appiano novimus, ex acie Pharſalica aufugerit. Haeccine exſpectes à Lucano, Pompejo ejuſque par-

partibus satis amico? ut sedulo dicam, vocem *vultusque* in duas secandam arbitrer, *vult*, *usque:* quae vero insequuntur, uti sana non sunt, ita apertum mihi est, quid illis poeta indicarit: Voluisse nimirum Pompejum, quod huc usque Corneliae maritis fuerat negatum, ipsa praesente mori Atque hoc est, quod ipsa queritur *L.* IX. 66.

Similisne malorum
Sors mihi semper erit? nunquam dare justa licebit
Conjugibus? nunquam plenas plangemus ad aras?

Si nunc roges, quid faciendum sit vocibus corruptis, libens fatebor, me veram earum scripturam ignorare: nam si censuero dedisse poetam,

Sed tu quoque, Conjux,
Caussa fugae: Vult, usque tibi, Crassisque negatum,
Te praesente mori.

verendum erit, ne temere mea illi verba obtrudam: Considerent ergo doctiores. Transeo ad ℣s. 733.

Protinus hostili statuit succedere vallo:
Dum fortuna calet, dum conficit omnia terror:

M m *Non*

Non veritus, grave ne fessis, ac Marte subactis,
Hoc foret imperium.

Obhaerent viri Docti ad *Marte subactos* Caesaris milites, neque injuria. Quis enim unquam victores hoc titulo ornavit? Victis proprius esse solet. Silius Italicus *L.* I. Punicorum, 300.

Et longe clausis sua foedera, longe
Ausoniam fore, nec veniae spem Marte subactis.

Exercitatos longoque usu assuefactos passim *subactos* appellari notum est. At *Marte subactos* pari ratione milites, qui in arte militari callent, posse dici dubito. Lucanum si arbitrum adhibere velimus, de victis sese usurpasse pronuntiabit *L.* VIII. 144.

Da similes Lesbo populos, qui Marte subactum
Non intrare suos, infesto Caesare, portus,
Non exire vetent.

Ut hinc me expedirem, à vero haud longe abiturum hoc esse opinabar.

Non veritus, grave ne fessis, ac Martis ab actu
Hoc foret imperium.

Mar-

Martis ab actu vel actis praelium indicatur, quo de Pompejanis victoriam reportarunt: neque insolens haec est illi dictio, ut videbis *L.* IX 295.

Jamque actu belli, non doctas ferre quietem,
Constituit.

Atque haec è Lucano suffecerint. Valerium Flaccum nunc in manus sumamus, & haec de Medea *L.* VI. 441.

Illius ad fremitus sparsosque per avia succos
Sidera fixa pavent, & avi stupet orbita solis:
Mutat agros fluviumque vias; suus adligat igni
Cuncta sopor: recoquit fessos aetate parentes.

Disputant viri Egregii de vera verborum *suus adligat igni Cuncta sopor* sententia, nec quicquam decernunt. Si mihi sententiae dictio esset, sic ordinanda censerem:

Mutat agros fluviumque vias, suus adligat ignis
Cuncta: super recoquit fessos aetate parentes.

Ut indicetur: Magico Medeae igni cuncta alligari & defigi, & praeter ea recoqui ab ip-

sa senes. *Super* eo modo obvium est *L.* 1. 29.

> *Super ipsius ingens*
> *Instat fama viri, virtusque haud laeta tyranno.*

Si vero haec improbetur ordinatio, poterunt & ita digeri:

> *Mutat agros, fluviumque vias suus adligat ignis:*
> *Cuncta super recoquit fessos*, & reliqua.

tumque priore versiculo significabitur, quod Hysipyle Jasoni scribit Heroid. VI 87.

> *Ipsa refraenat aquas, obliquaque flumina sistit.*

Non minor disceptatio inter interpretes intercedit de versu 536.

> *Non pascua, nec seps*
> *Hic tibi: Nocturnis mitte haec simulacra rapinis,*
> *Neve Deum mihi finge: Deus quoque consere dextram.*

Variant quoque editiones. Quid viri in hoc studiorum genere Eximii N. Heinsius, Petrusque Burmannus tentarint, ex eorum commentariis cognoscere licebit: Ego hos duces secutus paucissimis immutatis legebam:

Non

Non pascua, nec seps
Hic tibi nocturno: Mitte haec simulamina: Pana
Neve Deum mihi finge:

& videbatur abscissior haec oratio Aroni irato recte posse convenire. Nocturnum Armem appellat tanquam furem, qui noctu grassatur, ut Andromache Ulyssem apud Senecam Troädin, ỹs 755.

Hoc est pectoris facinus tui
Nocturne miles, fortis in pueri necem.

Quod addit. *Pana Neve Deum mihi finge*, apertissime respicit illud Valerii de Arme, ỹs. 532.

Frontem quum cornibus auxit
Hispidus, inque Dei latuit terrore Lycei.

Sed viderint, qui Criticen praesentem experiuntur. Finem huic disputationi faciam, ubi Papinii Statii verba ad disquisitionem vocavero Thebaid. II. 276.

Ibi arcano florentes igne smaragdos
Cingit, & infaustas percussum adamanta figuras,
Gorgoneosque orbes, Siculaque incude relictos
Fulminis extremi cineres.

Describit dirum Harmonies monile, Vulcani Cyclopumque manibus mira arte fabrefactum. Id demiror, maluisse poetam fulminis cineres, quam ipsum fulmen ad id fabricandum adhibere, cum hoc tamen ad terrorem augendum magis accomodatum videatur: & quam tandem ob rem *fulminis extremi cineres?* Si Lactantio, erudito Thebaidis enarratori, credimus, è fragmentis fulminis monile Vulcanus fecit: *Conflat*, inquit, *hoc monile post fulmina fabricatum de fragmentis.* At enim *cineres fulminis* proprie non sunt ejus fragmenta. Ne longum faciam, prorsus probabile mihi fit, scripsisse Statium, & in codicibus suis invenisse Lactantium, *fulminis extremi crines*. Hos extrema fulminis parte diffractos monili incusos fingit: Hi quoque recte fulminis fragmenta dicentur, & *extremi* quidem, quando ex ultima fulminis parte emicare solent. Jam vero frequentatissima poetis ea est locutio, non item altera: Meminit fateor Thebaid. VII, 325. cineris fulminei:

> *Adhuc ripis animosus gurges anhelis*
> *Fulmineum cinerem, magnaeque insignia poenae*
> *Gaudet.*

At si superioribus parem opineris, errabis profecto: Cinerem intelligit, quem Asopus Jo-

Jovis fulmine adustus egerere fingitur: unde ✓ſ. 731.

Clare Giganteis etiamnum Aſope favillis.

Crinibus fulminis fidem fecerit Silius *L.* I, 358.

Qualis ſanguineo praeſtringit lumina crine,
Ad terram coelo decurrens, ignea lampas.

& ne plures, qui facile ſtipari poſſent, memorem, Statius ipſe *L.* VII. Thebaidos, 582.

Ceu duo diverſo pariter ſi fulmina coelo
Rupta cadant, longumque trahant per nubila crinem.

Id adjungam, Graecis quoque id fulgens & vibrans, quod è luce emicat, ἔθειραι, *crines* nuncupari. Auctor de Lapidibus, quem vulgo Orpheum faciunt, in Opallio:

Ἀμφοτέροις ἀκτῖνες ἐτήτυμοι ἐμπεφύασιν
Ὀρθαὶ, λαμπετόωσαι. Ἰδεῖν γε μὲν εἶον ἔθειραι.

Hinc lunam, cujus tremulum lumen nocte ſplendet, χρυσοέθειραν appellitant. Maximus Philoſophus de Electionibus, 95.

Ταύρῳ ἐπεμβεβαυῖα Θεαντὶς χρυσοέθειρα.

ſic editur, vertiturque:

Tauro incedens velociter in aureo aethere luna.

at

At minus ex vero. Fuit in Maximo χρυσοέθειρα, *aureo crine insignis*, quomodo ѷſ. 220.

> Δείδιθι χηλάων ἐνὶ τείρεσι χρυσοέθειραν
> Μήνην.

CAP. XXXII.

Plura Hesychii è V. Testamento deprompta emendantur & explicantur. Olympiodoro sua redditur scriptura. Veteres Joannem Baptistam non locustis sed herbis vesci solitum censebant. Origenis Lexicon nominum Hebraeorum emendatur. Hesychius singulari diligentia consectatus est urbium Moabiticarum nomina. Ἰα particula est prae gaudio exclamantium. Eusebius de Locis Hebraicis emendatur. Interpretibus LXX. *medicina adhibetur & Symmacho.* στρατεύεσθαι *&* σφαγγεύεσθαι *à librariis invicem confunduntur. Hesychium ex Basilio verbo tenus quaedam exscripsisse ostenditur.*

MUlta è ſacro Veteris Teſtamenti codice in Lexicon ſuum tranſcripſiſſe Heſychium certa & teſtata res eſt: Delectatus in primis eſt nominibus propriis, eaque ex Origenis opuſculo de nominibus Hebraeis, Λεξικὸν τῶν Ἑβραϊκῶν ὀνομάτων appellat Procopius in I. Reg XIV, hauſta pro ſuis uſurpavit: & quamquam ejusdem argumenti libellum Philo Judaeus reliquerit, non hunc tamen,

tamen, quod doctissimus operum Hieronymi editor Martianaeus existimabat, sed illum esse secutum vel propterea censuerim, quod Apostolorum aliorumque è Novo Testamento nomina, prorsus ut Origenes & post eum Hieronymus, explicare solet. Neque ita tamen consectatus est nomina virorum, ut alia omnia neglexerit: Passim multa, quae aut Geographiam sacram spectant, aut antiquissimorum interpretum fragmenta, excerpsit, sed, quod merito indigneris, haud raro turpissime foedata. Seligam aliqua, & videbo ecquam illis opem ferre possim:

Ἀδάμα, παρθενικὴ γῆ.] Respicere hic monent Grammaticum Josephi verba *L.* 1. Ant. Judaic. c. 2. Non audio. Sumpta vox est ex Esajae c. xv. versu ultimo: καὶ τὸ κατάλοιπον ΑΔΑΜΑ. ubi plane ad Hesychii mentem Procopius. τοῦτο δὲ σημαίνει τὴν γῆν τὴν παρθενικὴν, ἀφ' ἧς Ἀδὰμ ἐπλάσθη.

Αἰγάγρον, αἶγα ἄγριον.] Usus vocabulo est nescio qui interpres Deuter. xiv. 5. ubi LXX. πύγαργον. Reddamus hanc vocem Olympiodoro, cujus fragmentum Catena in Iobi cap. xxix. pessime nunc circumfert: Ἀλλ' οὐδὲ τὰ ἐυτελέστατα, φησὶν, οἶδα, πῶς κατὰ καιρὸν ἔλαφος καὶ τραγέλαφος ἤτοι αἴγαγρος ὑπὸ αὐτοῤῥόφοις σπηλαίοις ἐν πέτραις ἀποκυΐσκουσι. Nemo non videt Olympiodorum dedisse αἴγαγρος.

N n

Ἀκρι-

Ἄκρλον, ποῖον.] Vitium his inolevisse quis dubitet? Opinabor fuisse olim: Ἀκρὶς, πόα, & eorum obiter sententiam explicari, qui Joannem, cujus victum Matthaeus ἀκρί-δας fuisse docuit, herbas, non locustas esitasse volebant. Athanasius in fragmento Commentarii in Matth. III. 4. Ὅτι δὲ καὶ βοτάνη τίς ἐστιν ἀκρὶς λεγομένη ὁ Σολομῶν ἡμᾶς διδάσκει λέγων, ἀνθήσει τὸ ἀμύγδαλον καὶ παχυνθήσεται ἡ ἀκρίς. Habes Salomoneum id Eccles. XIV. 5. Vide praeterea Isidorum Pelusiotam *L.* I. Epist. 132. & veterum hanc opinationem tenebis. Quod si tamen Cl. Salmasii conjecturam huic praeponendam censueris, tuo id fiat arbitratu.

Ἀνδρεὰς, δύναμις εὐπρεπὴς ἢ ὑποκρινομένη.] Depromptum est ex Origenis libro de nominibus Hebraicis: hausit indidem Isidorus *L.* VII. Originum c. 9. *Andreas secundum Hebraeam etymologiam interpretatur decorus sive respondens:* qui, si recte vertit, dicendum est, fuisse hic quondam ἢ ἀποκρινόμενος. Vertisse autem bene ex fragmento I. libri Origenis apud Martianaeum p. 115. manifestum est. Ἀνδρεάς, inquit Origenes, δύναμις εὐπρεπὴς ἢ ἀποκρινόμενος. Paullo aliter Hieronymus. *Andreas, decus in statione, vel respondens pabulo: sed hoc violentum:* Neque injuria id adnectit: ineptissimum enim est, velle ita ex Hebraeorum sermone nugari.

Βα-

Βασὰ, αἰσχύνη ὅ ἐστι δρῦς.] Explicari hic Hebraicum בשן, & ſcribi debere *Βασὰν*, certiſſimum eſt ex Origene, Suida, & iis, quae mox ſequuntur: Quorſum vero illa referes *ὅ ἐστι δρῦς*? Dicam paucis: Grammatici locus magna ſui parte truncatus eſt: Addiderat ipſe ex Eſajae c. II. 13. *Καὶ πᾶν δένδρον βαλάνου Βασάν.* His reſpondebant *ὅ ἐστι δρῦς.* Sublatis Eſajae verbis ab improbae diligentiae exſcriptoribus, locus, ceteroqui perceptu facillimus, intricatior eſt factus. *Δένδρον βαλάνου* eſſe quercum non infitiatur Procopius in eum Eſajae locum: *Τοὺς δὲ τοιούτους καὶ ἡ κοινὴ συνήθεια παρεικάζει δρυῒ, ἧς ὁ καρπὸς χοίρων τροφή. Ὅθεν δένδρον αἰσχύνης ὠνόμασται. τοῦτο γὰρ τὸ ΒΑΣΑΝ ἑρμηνεύεται.*

Γαλαὰδ, παλαιῶν ὄνομα, ἢ μέτοχος.] Fuit hoc nomine filius Machir, eumque hic innui putem: quod vero explicationis cauſſa additur, id minus recte ſe habet: Heſychius Comment. in Pſalm CVII., ſicuti ex Catena Corderiana liquet, *Γαλαὰδ* idem eſſe ac *μετοικισμὸν* cenſebat. Quare *μέτοικος* hic reſcribendum videtur, praeunte Origene: *Γαλαὰδ, μέτοικον μαρτυρίας*, cujus tamen prima vox ad Heſychianam eſt conformanda.

Γέμοῤῥα, μέτρον, στάσις.] Deficere credo vocabulum *Γόμορ*, & principio fuiſſe: *Γόμορ, μέτρον. Γόμοῤῥα, στάσις.* Res ipſa requirit: nam

Γέμοῤῥα nunquam eſt menſurae nomen, neque ad eam explicandam τὸ μέτρον adhibetur. Origenes Γόμοῤῥα, σάσις. Hieronymus. *Gomorra, populi timor, ſive ſeditio* Vicinia vocum ejuſdem paene ſoni alteram videtur exterminaſſe.

Δαμασκὸς ἄμμα σάκκυ.] Lege αἷμα. Varie vocem hanc interpretati ſunt. Quidam *ſanguinem bibens*, alii *ſanguinem oſculi*: alii aliter. Audi Hieronymum in Ezechielis c. XXVII. *Illud autem quod Damaſcus interpretatur ſanguis cilicii & ſanguis oſculi praeſenti non convenit loco.*

Δεηβὼν, ῥύσις ἑρμηνεύεται. ἔστι ᾗ τόπος, ἔνθα ἵδρυται ἱερὸν Μωαβιτῶν.] Tranſcripta vox eſt ex Eſajae c XV. ubi varie ſcribitur, Δίβων, Δαιβὼν, Δαίμων, quod poſterius, quia literarum ordini, quem obſervare Heſychius ſolet, accuratiſſime convenit, fortaſſe recipiendum eſt, quamquam & Δεηβὼν, certe in Procopii codice, ibidem inventum fuit: alias vocabuli hujus mutationes ſequentia nobis oſtentabunt.

Δηλαϊσὴ, ἐλεινή.] Theodotionis hoc eſſe Hieronymus in Ezech. c. v. 15. docebit: *Et de Theodotione additum eſt*, καὶ δηλαϊσὴ, *cujus verbi notitiam non habemus*: & poſt pauca: Δηλαϊσὴν *&* δηλαίαν *quidam infelicem & miſeram: alii perſpicuam & expoſitam ad miſerias in-*

intelligi volunt. Habent & LXX Interpretes, sed ex Theodotione.

Δίπλα, ἀκαθαρσία.] Quid genuinum hic sit Martinius, & Lamb. Bos, viri Doctissimi, dudum docuerunt. Quod vero alter monuit, videri Hieronymum in Esajae c. XXVIII. 13. prava lectione deceptum, cum vertisse Theodotionem ἱμᾶσιν δυσαλίας adfirmat, id secus est: Praeferunt enim MSS. δεισαλίας, ut ex Rev. B. Montfauconio cognoscere licet.

Ἐβώβ, πόλις Μωαβιτῶν ἡ καὶ ὠβώβ.] Haec leviter sunt deturpata. Ἐβὼθ & ὠβὼθ scribendum est, quamquam posterius tantum obvium Numer XXI. 10. & XXXIII. 43. est. Agnoscit id quoque Eusebius de Locis Sacris: Ὠβὼθ, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐν τῇ ἐρήμῳ.

Ἐλεαλὴ, θεοῦ ἀνάβασις ἐν ὑπερηφανείᾳ.] Et hoc loci in Moabitide nomen est. Sumpsit ex Esaiae cap. XV. aut Numer. XXXII. Eusebius suo tempore satis amplum fuisse vicum significat, unis passuum millibus Chesbone disparatum. Ἐν ὑπερηφανείᾳ, quod vocis explicationi additur, abundat: Neque enim אלעלה id innuit. Sed cum in his veteres saepe nimii fuerint, ipsis id relinquimus defendendum.

Ἐυρυζῶν, πλατύνων. † Ἐυρύζων, ἀγαλλιάματα καλὰς ῥίζας ἔχοντα καὶ χαροποιούς.] Male haec disjunguntur. Scriptum fuit: Ἐυρυζῶν, πλα-

πλατύνων. ἐυρίζω ἀγαλλιάμαλι, καλάς κ. λ. Habuit ante oculos Psalmi XLVII. versum alterum, ubi nunc ἐυρίζων ἀγαλλιάμαλι πάσης τῆς γῆς vulgo lectitari solet, at olim ἐυρίζω. Prorsus id manifestum est ex veterum Commentariis, quorum fragmenta Catenae in Psalmos sunt intexta. Pauca ex scholio exscribam, quod ibidem Corderius publicavit: Ἐυρίζω δὲ ἀντὶ τοῦ βεβαίω, ἑδραίω, ἀμετακινήτω. Τοῦτο γὰρ τὸ ἐυρίζειν, τὸ καλὸς ἔχον ῥίζας. εἰ δὲ γράφεται ἐυριζῶν, καλῶς ῥιζῶν, καὶ πηγνὺς καὶ βεβαιῶν αὐτήν. Utramque illam scripturam Hesychius exposuit, & posteriorem quidem, sicuti vetus ille scholiastes, priorem probavit quoque Apollinaris, cui Psalmi versum ita pedibus adstringere visum est.

Πάντοθεν ἐυρύνων χάρμ' ἐν χθονὶ πουλυβοτείρη.

Ἠσχάτησεν, ἐστέρησεν.] Ultimum verbum optime mutatum est in ὑστέρησεν: Priori ne vim facias vetabit incertus interpres, qui Judic. V. 28. ubi LXX. διότι ἐχρόνισαν πόδες dedit διότι ἠσχάτησεν.

Θίβη, πλεκτὸν τι κιβωτοειδές.] Sunt qui Graecae originis esse, & à θίω venisse arbitrantur: Gaudeant hoc invento: Nobis certum est, Hebraeorum esse תבה, quod ab interpretibus Exod. II. 3. veste Graeca est indutum. In vetere

tere ſcholio notatur: Θίβη, κιβωτὸς παπύρου ἢ ὑδρία.

Ἴα, δασυνόμενον τὸ ἄλφα. καὶ ὀξυνόμενον τὸν Θεὸν σημαίνει καθ' Ἑβραίους.] Hebraeorum יה hic enarrari perſpicuum eſt. Retinuit id Symmachus & verſionis V. auctor Pſalm. LXVII. Euſebio indice: Κέκληκε δὲ τὸν κύριον, inquit, καινοτέρᾳ φωνῇ κατὰ τὴν Ἑβραϊκὴν λέξιν, Ἴα γὰρ αὐτὸν ὠνόμασεν, ὅθεν ὁ Σύμμαχος, διὰ τοῦ Ἴα ἡ ὀνομασία αὐτοῦ ἡρμήνευσεν. ἡ δὲ Ε. ἔκδοσις, ἐν τῷ Ἴα τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Non ita prompta & parata priorum eſt ſententia. Quid? an Ἰα poteſt eſſe ἄλφα? & ſi velis ἄλφα hic notam eſſe unitatis, eritne ſine controverſia verum? Putem ego, ſcriptum primo fuiſſe τὸ ἆ, ut moneretur Ἴα, plane ut ἆ, eſſe particulam exclamantis prae gaudio, atque hoc, cum paullo eſſet obſcurius, fraudi fuiſſe librario, literam ſingularem in ἄλφα tranſmutanti. Ἴα reſpondet Hebraeorum הידד, quod vitulantium eſſe ſolet. Uſus eo eſt ὁ Σύρος Syrus Interpres Jerem. XLVIII. 33: οὐκέτι οἱ ληνοβατοῦντες κελεύουσι λέγοντες Ἴα, Ἴα.

Ἰαζὴρ, ἰσχύς.] Urbis nomen eſt in Moabitide, ſi Procopio fides. Nam Euſebius alibi locat. Neſcio caſu an conſilio factum fuerit, ut illius regionis urbes prae ceteris elegerit. Si certo conſtaret unde domo fuiſſet Grammaticus, reddi fortaſſe ejus rei ratio poſſet. Urbem

bem invenies Esajae xvi. 9. & Num. xxxii. 3.

Κηδὰρ, πένθος] Verius σκότος, tenebras, dixisset. Hinc in Lexico Origeniano. Κηδὰρ συσκοτασμὸς, ἢ σκότος, quamquam male ibi Κυδὰρ editum est. Alteram eum significationem addidisse, Hieronymus testis est: *Cedar, tenebrae, vel moeror.* Ubi fuerit Eusebius docebit: Κηδὰρ, ἐν Ἰεζεκιὴλ ἄρχοντες Κηδάρ. ἔστι δὲ χώρα Ἀραβίας, sic enim pro Ἀβραάμ legendum est: Hieronymus in versione id confirmat, quantumvis liberius Latina fecerit; *Est autem*, inquit, *regio in eremo Saracenorum.*

Λεβηδὼν, τόπος τῶν Λευϊτῶν ἔνθα ἐθυσίαζον.] Levitarum mentio hic intempestiva est: Μωαβιτῶν citra dubium scribendum est. Urbem intelligit, quam supra Δαιβὼν appellavit. In Alexandrino codice Esajae cap. xv. 2. est Δαιβηδών: Hinc, si veterem scriptionem consideres ΔΑΙΒΗΔΩΝ, ΛΕΒΗΔΩΝ, & ad pronuntiandi olim receptum morem attendas, nasci facile potuisse, quod nunc legitur, perspicies: Idem judicium esto de sequenti:

Λεβιδὼν, τόπος ἐν ᾧ ἐθυσίαζον οἱ κατὰ τὴν Λιβανησίαν Ἀραβίαν Μωαβῖται.] Sic legendum. Et ne dubites animum intendisse in eam, quam dixi, urbem, habe ipsam Esajae sententiam, in Moabitas pronuntiatam: Λυπεῖσθε ἐφ' ἑαυτοὺς,

διπ-

ἀπολεῖται γὰρ καὶ Δηβών, ἐ ὁ βωμὸς ὑμῶν.

Ναβὰν, ἐγκαθισμός.] Interpretatur Esajae c. xv. 2. Nunc quidem eo loci praefertur Ναβᾶυ, sed alios codices Hesychianum illud agnovisse, ex Procopio citra dubium est: Hieronymus Nabau *sessionem* notare, Origenes vero ἐγκάθισμα notat. Est quoque Ναβὰν in Aldina editione Numer. cap. xxxii. 42. & in Cedreni Compendio p. 42. Habet quoque semel atque iterum in Onomastico Eusebius, frustra viris Doctis utrobique emendantibus.

Ὀνοκένταυροι, παρὰ Ἀκύλα τελχῖνες -- -- ὅπερ σείην ὠνόμασαν.] Mutatur à viro Magno σίνην in Σειρήν. Factum nollem. Procopius in Esaj. xiii. 22. οἱ λοιποὶ τῶν ἑρμηνευτῶν ἀντὶ τῶ ὀνοκένταυροι σεῖν ἐξέδωκαν. Similia invenies in Eusebii in eum locum Commentario. Posset quis opinari, τελχῖνας esse hic scribendum ob haec Procopii: τούτους δὲ τελχῖνας Ἀκύλας ὠνόμασε, δηλῶν κάθυλιν καὶ ἐσκοτισμένον δαίμονα. Sed necesse non est, nam & alterum adhibuit Esaiae c. xxxiv. Vides vero Hesychii interpretamentum nihil dissonare à Procopii. Quem vero hic & alibi in Psalmorum verbis enarrandis ducem habuerit, huc usque frustra quaesivi.

Πέταυρον, εἶδος παγίδος.] Haustum videri potest è Proverb. c. ix. 18. καὶ ἐπὶ πέταυρον ᾅδου

O συ-

συνωπῶ. Qui vero factum ſit, ut Pindaro in notis hoc ſit contributum, plane neſcio.

Σαβὰ, αἰχμαλωσία, ἐν φυτῷ σαβὲκ.] Excidit hic Σαβὲκ ante ἐν φυτῷ, quae Geneſ. XXII. 13. occurrunt: Fidejuſſorem haec emendatio non deſiderat.

Σεβαμὰ, ἐπιστροφὴ πονηρά.] Palmerius in σέβασμα mutat, ſuperſtitionem vel idolum intelligi ratus: Non ſequor, rectum enim eſt, & ex Num. c. XXXII. 3. aut Eſaiae XVI. 9. exſcriptum, ubi Procopius ἐπιστροφὴν notare monet.

Σεδὲκ, πόα Μωαβιτῶν, ἑρμηνεύεται ἡ μελέτησις.] Depravatum eſt πόα ex πόλις, cum enim duabus ultimis literis truncata eſſet ΠΟΛ. abiit in ΠΟΑ. Eam urbem reſpicit, quae nunc Δεσὲκ Eſaiae XV. 7. dicitur. Atque ita in ſuis editionibus invenit Euſebius. Δεσὲκ, inquit de Situ locorum Hebr., Α. τοίχῳ. Σ. τείχει. Procopius reperit Ἀσεδὲθ: ex qua utraque ſcriptura natum eſt noſtri Σεδὲκ: quod vero addit, notare μελέτησιν id falſum eſt. Μελέτησις in ipſo textu olim τῷ Σεδὲκ addebatur, ut ex eodem manifeſtum eſt. Nunc ea vox in numerum multitudinis vulgo verſa conſpicitur. Heſychius cum inveniſſet Σεδὲκ μελέτησις, continuo vocis Hebraeae interpretamentum eſſe cenſuit.

Στραγγεύεται, διατρίβει.] Uſurpavit hoc ver-

verbum Symmachus Habac. II. 3. Eodem Genes. XIX. 16. Hebraeum יתמהמה explicuit: Editum quidem à Drusio & Montfauconio est ἐστρηνύατο & ἐστρηνύετο: Sed solito librariorum peccato, quo passim στρηνύεσθαι & στραγγεύεσθαι permiscentur. Exempla in Grammaticis plurima sunt, & magnam partem ab eruditissimo Kustero ad Suidam congesta. Nam στρηνύεσθαι eadem significatione nonnunquam adhiberi, qua στραγγεύεσθαι, quod viro praestantissimo Paul. Leopardo *L.* XI. Emend. c. 2. videbatur, ex corruptis Criticorum veterum locis difficulter probabitur: Ego certe non dubitem, quin Judic. XIX. 8. ubi nunc, καὶ στράπυσον ἕως κλίνῃ τ̃ ἡμέραν, ipsi interpretes dederint, καὶ στράγγευσον, omni oratione hanc vocem postulante.

Τενοντώσεις, νωτοκοπεῖς.] Mutant in τενοντοκοπεῖς, quo usus est Aquila Exodi XXXIV. 20. Sed rectum est vulgatum: Habet idem Aquila Exodi XIII. 13.

Τιμουλκῶν, τιμὴν αἰτῶν.] Ordo τιμιουλκῶν expostulat, quod usurpavit nescio qui interpretum Proverb. XI. 26.

Χαναβὶς, ἅλης.] Depravata haec mirum in modum sunt: Fuisse existimem Χαναανὶς σιάλος, & exponi regis nomen. quod exstat Numeror. XXXIII. 40. Arbitrati olim sunt כנען id adsignificare. Hieronymus: *Chanaan,*

σάλος, *hoc est, motus eorum.* Atque ita mox ipse Hesychius. B. per exscriptoris imprudentiam in vocem immigravit, plane ut in hoc: Ἰαξάρτης, Βοτάναι ποταμοῦ, quod olim scriptum fuit ὁ Τάναις ποταμός, ut ex fragmentis Lexicorum in Bibliotheca Coisliniana p. 234. & 500. apertissimum est.

Ψόα, τὸ μέρος τοῦ σώματος.] Suspicari licet fuisse olim ὁ μηρός. Utcunque fuerit, usi voce sunt interpretes LXX. 2. Samuel 11. 23. & Symmachus Jobi XV. 27. Idem & ψύαι adhibuit Psalm. XXXVII. 8. ubi, quod mireris, interpretes, quos LXX vocant, ψυχή, cum כסלי tamen μηροὺς aut μέρεα aut ψύας vertere soleant. Ut ingenue dicam, scripsisse eos opinor, ὅτι ἡ ψύα μου ἐμπλήσθη ἐμπαιγμῶν. Ita certe sibi constabunt. Atque haec nunc sufficiant. Id addere libet studiosum & diligentem in veteribus sacrarum literarum commentatoribus & lectitandis & exscribendis fuisse Grammaticum. Ut rem plane videas operae erit excerpere ex Catena in Jobi c. VII. haec Basilii: Μέμνηται καὶ τοῦ Ἀρκτούρου ἡ γραφὴ, ὃν μεταξὺ τῶν μηρῶν τοῦ Ὠρίωνος ὁρῶ (ὁρῶμεν) κείμενον ἀστέρα ὑπόκιῤῥον. παραπλησίως δὲ καὶ ἡ Πλειὰς ὑπὸ τῆς γραφῆς ὀνομάζεται, ὡς καὶ ὑπὸ τῶν ἔξωθεν, τῶν παρ᾽ Ἑβραίων δηλονότι. πολυπραγμονησάντων τὰ ἀπόῤῥητα. Φαίνονται δὲ ἐν τῇ Πλειάδι ἑπτὰ ἀστέρες συνεχεῖς καὶ κατὰ πεπυκνωμένοι πρὸς ἀλλήλους,

λυς, οὐχὶ δὲ ἐξ, ὥσπερ τινες οἴονται. Jam quaeso haec contende cum Hesychianis in Ὠρίων, & advertes hinc magnam eorum partem esse sumptam: Quaedam etiam rectius in Basilii esse scripta fragmento. Si vero, quod eruditis non displicuit, haec Hesychiani Lexici ultima particula sit integra, atque ita quidem, ut ex scriptoris calamo effluxit, fatendum posthaec erit Basilio M. Grammaticum hunc esse recentiorem.

CAP. XXXIII.

De Ignatii Epistolis quaedam. Quaeritur adscribendane sint falsariis, quae Ignatius de Jesu τῷ Θεῷ illis inseruit? Notatur Epiphanius, ostenditurque sine caussa titulum τοῦ Θεοῦ, Christo tributum in illis Epistolis damnari.

TAntum praejudicata opinio potest, ut apud multos sine ratione valeat auctoritas. Plena exemplorum licet omnia sint, sume tibi Epistolas Ignatianas: Quas non illae turbas dedere? Diu dignitatem obtinuere interpolatae, quae dicuntur. Illis vix tandem gradu depulsis, praevaluere ab Usserio Vossioque publicatae, nec ita tamen, quin statim controversiam illis moverint viri Docti, quibus Episcoporum ordo & principatus

recentior videbatur. Sopita utcunque ea lite, in ſcenam de integro productae interpolatae ſunt, eas ſolas genuinas & Antiocheno praeſule dignas aſſeverantibus, qui Arii opinionibus ſeſe addixerunt. Nec dum ea deferbuerat diſputatio, cum Voſſianae editionis Epiſtolis alia lis intentari coepta eſt. Ignatianas eſſe agnoſcitur, ſed a falſariis mirifice corruptas, & in aliam ſententiam deſtabili auſu detortas. Quam vero ab cauſſam? Praedicant ſaepenumero Chriſtum Deum. Id eos urere coepit, quibus haec diſplicet doctrina. Non conſtitui hiſce me rixis interponere, dudum expertus veriſſimum eſſe illud Hilarianum *L.* I. de Trinitate c. 18. *Optimum eſſe lectorem, qui dictorum intelligentiam exſpectet ex dictis potius quam imponat, & retulerit magis quam attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem praeſumpſerit intelligendum.* Libet tamen in id inquirere, ecqua commode corruptricibus fallariorum manibus acceptus poſſit referri τȣ̃ Θεȣ̃ titulus, quo Dominus noſter Chriſtus in his Epiſtolis ſubinde cohoneſtatur. Operae erit, ut recte omnia digerantur, quae Ignatii animo de Chriſto inſederit ſententia, explorare. Hoc ergo agamus. Chriſtum verum eſſe Deum profitetur Epiſt. ad Epheſios c. 7. Εἷς ἰατρός ἐστι σαρκικός τε καὶ πνευματικὸς, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, ἐν σαρκὶ

γενό-

γενόμενος Θεὸς ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ, καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ Θεοῦ, πρῶτον παθητὸς, καὶ τότε ἀπαθὴς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ κύριος ἡμῶν. Vetus interpres vertebat. *Medicus autem unus eſt, & carnalis & ſpiritualis, genitus & ingenitus, in homine exiſtens Deus, in morte vita vera, & ex Maria & ex Deo, primum paſſibilis & tunc impaſſibilis, Jeſus Chriſtus Dominus noſter.* Ita quoque Theodoretus fere legit Dialogo I. Suntque his prorſus conſona, & quod Georg. Bullus advertit Defenſ. Fidei Nicenae S. II. c. 7. ad haec conformata, Tertulliani de Carne Chriſti c. 5. *Itaque utriuſque ſubſtantiae cenſus hominem & Deum exhibuit: hinc natum, inde non natum: hinc carneum inde ſpiritalem: hinc infirmum, inde praefortem: hinc morientem, inde viventem*, & reliqua. Eſſe eum aeternum & fuiſſe ante omnia ſecula Epiſt. ad Polycarpum c. 3. Τὸν ὑπὲρ καιρὸν προσδόκα, τὸν ἄχρονον, τὸν ἀόρατον, τὸν δι' ἡμᾶς ὁρατὸν, τὸν ἀψηλάφητον, τὸν ἀπαθῆ, τὸν δι' ἡμᾶς παθητόν. *Eum, qui ſupra tempus eſt exſpecta, intemporalem, inviſibilem, propter nos viſibilem, impalpabilem, impaſſibilem, propter nos paſſibilem.* Hinc eundem ad Magneſios ſcribens c. 8. Λόγον ἀΐδιον *Verbum aeternum* appellat: Probe novi, eſſe qui hoc à parte poſt, ut loqui amat, explicet, & Logon Dei perpetuum & permanentem intelligat. Nec difficile ad percipiendum eſt, quid cum

eum in hanc opinionem duxerit. At eam Ignatii nunquam fuiſſe ejuſdem Epiſt. c. 6. clamat. πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃς πρὸ αἰώνων παρὰ πατρὶ ἦν, καὶ ἐν τέλει ἐφάνη. *Quibus commiſſum eſt miniſterium Jeſu Chriſti, qui ante ſecula apud patrem erat, & in fine apparuit.* Neque enim dubium haec quemquam relinquent, quin arbitratus Ignatius fuerit, Jeſum Chriſtum ante res creatas vere fuiſſe, atque adeo reapſe λόγον ἀΐδιον, *Verbum aeternum* eſſe. Neque hilum hic diſſentit itidem Apoſtolicus vir Hermas in Paſtore *L.* III. Simil. 9. c. 12. *Filius quidem Dei omni creatura eſt antiquior, ita ut in conſilio patri ſuo adfuerit ad condendam creaturam.* Ineſſe porro veram illi Deitatem Epiſt. ad Smyrnaeos c. 1. ἀληθῶς ὄντα ἐκ γένους Δαβὶδ κατὰ σάρκα, υἱὸν Θεοῦ κατὰ θεότητα καὶ δύναμιν. *Vere ex gente Davidis ſecundum carnem, filium Dei ſecundum Deitatem & potentiam.* Sic verto & lego, ſecutus Theodoretum Dialogo 1. Diſcordat quidem vetus interpres & codex Florentinus. Rectum tamen hoc putaverim, motus exemplari ántiquiſſimo, quo Theodoretus eſt uſus, ipſiusque Ignatii ſententia, unde nihil hoc abit. Ne dicam, exprimi hic accurate ſatis, quod Paullus ad Romanos c. 1, 3, 4. perſcripſit. Nec tamen hac de re contendemus. Cetera Ignatii ſententiam liquido manifeſtant. Jam vero ſi haec de Chri-

Christo Domino nostro opinatus fuerit Ignatius, quae tandem ratio nos subiget, ut haec non ejus, sed nequissimi fallarii esse credamus ex Epist. ad Roman. c. 6. ἐπιτρέψατέ μοι μιμητὴν εἶναι πάθους τοῦ Θεοῦ μου. *Sinite me imitatorem esse passionis Dei mei.* & ad Ephes. c. 1. μιμηταὶ ὄντες Θεοῦ, ἀναζωπυρήσαντες ἐν αἵματι Θεοῦ. *Cum imitatores Dei sitis, incendentes vos sanguine Dei.* Estne hic aliquid quod cum Antiocheni Episcopi animo dissidet? Haeccine damnari aequum est, salvis his Tertulliani *L.* 1 1. ad Uxor. c. 3. *Quod sciam, non sumus nostri, sed pretio empti, & quali pretio? sanguine Dei.* Uterque, si tentaveris, indignisse ferent, palam saepe professi, Christum verum esse Deum, verumque hominem, θεάνθρωπον. Unde porro nobis fidem facient, nunquam ab Ignatio venisse, quae Epist. ad Trallian. c. 7. habet. Καὶ οὖσιν ἀχωρίστοις Θεοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τοῦ ἐπισκόπου. *Et indivulsi manseritis à Deo Jesu Christo & Episcopo.* Et ad Polycarpum cap. ultimo. Ἐρρῶσθαι ὑμᾶς διὰ παντὸς ἐν Θεῷ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ εὔχομαι. *Opto vos valere semper in Deo nostro Jesu Christo.* Fieri potest, ut his veniam dent, nihilque creent molestiae, quoniam articulus abest. Damnabiturne ergo ex Epist. ad Roman. c. 3. quia inibi praefixus est? Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν πατρὶ ὢν μᾶλλον φαίνεται. *Deus quippe noster Jesus Christus, in patre*

 exi-

existens, magis apparet: Ita jubent. Deum ajunt hic appellari Christum cum articulo: id à moribus & consuetudine virorum Apostolicorum longe alienissimum esse. Deum cum articulo illis summum Deum vocari, sine eo secus esse. Notavit hujusmodi quid Epiphanius de Samaritanis agens adversus Haereses c. 4. verum Deum in sacris cum articulo poni, sine eo paganorum Deos. Καὶ ἐὰν εἴπωμεν Θεὸς ἄνευ ἄρθρου, τὸν τυχόντα εἴπαμεν Θεὸν τῶν ἐθνῶν, ἢ Θεὸν οὐκ ὄντα, ita sine dubio legendum, ἐὰν δὲ εἴπωμεν ὁ Θεὸς, δῆλον ὡς ἀπὸ τοῦ ὁ ἄρθρου τὸν ὄντα σημαίνομεν, ἀληθῆ καὶ γινοσκόμενον. Sed falsam esse hanc observationem, omnis scriptura, in qua millies Deus Optimus Maximus Θεὸς sine articulo appellatur, saepe etiam quando fictis paganorum numinibus opponitur, clamat. Idem in Ignatianis Epistolis locis sexcentis obvium est. Unde vero perspectum exploratumque habent, Apostolicos viros nunquam factitasse? Est in his literis magnum H. Valesii nomen: Ab eo ad Eusebium *L.* 1. Hist. Eccles. c. 13. observatum est, veteres Dei nomen soli patri contribuere fuisse adsuetos. Sed Valesio, quantumvis viro vere erudito, in his sine ratione non accreditur. Et in promptu sunt ejusdem dignitatis & famae viri, qui in alia omnia abiere. Nemo ignorat in tanta optimorum scriptorum stra-

ſtrage pauciſſimos eſſe Apoſtolicorum libros. Qui ſuperant manifeſta paſſim Deitatis Jeſu Chriſti inſignia prae ſe ferunt. Nec tuto credo ex perditis ſermocinaberis, afuiſſe illis τοῦ Θεοῦ, Chriſto tributum, titulum. Quid? qui reſtant, nonne Jeſum Dominum noſtrum τὸν Θεὸν, *ipſum Deum* conſalutant? Apoſtolicorum aetatem attigit Irenaeus, a pluribus etiam in eorum catalogum tranſcriptus, nec refugit tamen Chriſtum *ipſum Deum*, τὸν Θεὸν nuncupare, ut alias dictum eſt. Irenaei aequalis fuit Theophilus, cui Chriſtus ὁ Θεὸς eſt *L.* 1 1. ad Autolycum c. 30, 31. Ipſe Ignatius, citra dubium Apoſtolicus, ad hos cum alibi, tum Epiſt. ad Epheſios c. 18. accedit: Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ. Nec mutandum ſtatim hoc eſt, quia diſplicet. Servant codices, & invenit ita Theodoretus ante mille & trecentos annos. Articulo ſaepe vim ſuam, ſaepe elegantiam ineſſe agnoſcimus: Sed recepti uſus Chriſtianis antiquiſſimis fuiſſe, ut Deum ſummum τὸν Θεὸν, Chriſtum vero Θεὸν ſine articulo ſemper appellarent, qui probabitur? Urere & ſecare omnia velle, ut hoc vincas, mihi temerarium & importunum videtur. Scire quoque velim, quid interſit inter ὁ Θεὸς ἡμῶν & Θεὸς ἡμῶν, & an alterum praeſtet alteri? Ego quidem ea ſemper opinione fui, utro-

 bique

bique obligationem significari, qua Deo meo obstrictus, cultum obedientiamque omnem debeo. Sed quid ego multa de articulo? Si Deum etiam sine eo Christum Ignatius appellavit, unde sodes imbibit hanc sententiam? Oportet ex scriptis Apostolorum aut Apostolis ipsis, quibuscum familiariter agitabat. Nam ex se finxisse, aut pio animi motu hoc titulo Christum condecorasse, opinari periculosum est, ne quid inclementius dicam, de viro sancto. Quod si vero alterum agnoscendum est, cui bono tantum operae insumitur, ut hic honor Christo detrahatur? Cur illi non relinquimus, quod Joannem cum Ecclesia Apostolica illi contribuisse ostendimus? Scio ex Cajo, seu quis alius fuerit, apud Eusebium *L.* v. Hist. Eccl. c. ult. objici, inter scripta, ἐν οἷς θεολογεῖται ὁ Χριστὸς, *in quibus Christus Deus probatur*, nominatim Epistolas Ignatii non esse recensitas. At quam nulli ponderis sit hoc argumentum in has Epistolas Eruditissimus Joan. Pearsonius ad rei necessitudinem satis ostendit, quidquid alii obloquantur. Si tantummodo auctor ille Justini, Miltiadis, Tatiani & Clementis scripta commemorasset, in speciem hoc urgeri potuisset. Jam vero ante Irenaeum & Melitonem, praeter eos, quos recensui, ἑτέρων πλειόνων, *plurium aliorum* scripta fuisse, quae Christum Deum prae-

praedicarent, adfirmat. Dicant nobis, quinam tandem quam plurimi illi alii sint, in quorum libris Christus noster Deus fuerit nuncupatus, quique aetatem egerint ante eos, quos excerpsi? Profecto, si quid in his ego video, scriptor ille Eusebianus, quicunque fuerit, plus officit caussae eorum, quam patrocinatur. Justinum Martyrem *primum doctrinae de filio Dei, persona ante seculari, inventorem & fabricatorem* fuisse pertendunt. At hic praeter Justinum ἑτέρους πλείονας, qui idem condocuerint, fuisse perhibet. Eant nunc & antiquitatis Ecclesiasticae consensum extollant. Nobis apparet, veterum animis aliud placuisse. Id addamus, nihil esse caussae, quamobrem ἑτέρων πλειόνων seu quam plurium eorum numero Ignatius eximatur. Quod scriptor ille de istorum libris asseveravit, id ex hujus Epistolis elucescit. Notum quoque aliunde est, ab Ignatio Ebionem, Christum Deum impugnantem, fuisse confutatum. Clara sunt Hieronymi adversus Helvidium super hac re verba. Jam vero si fortia sint Pearsonii & aliorum argumenta, ut agnoscitur, genuinas esse Usserianae & Vossianae editionis Ignatii Epistolas comprobantia, quidni justa & Ignatio dignissima censebimus, quae de Christo Deo illis sunt intexta, quippe & Episcopi hujus opinionibus & Apostolicorum virorum convenientissima?

CAP. XXXIV.

Diffidentium Graecorum de obitu Carini & Numeriani verba examinantur. Nicephorus Patriarcha emendatur. Zonaras & Cedrenus erroris arguuntur. Joannes Malala perverse Numeriano pellem detractam ait. Scriptor Actorum S. Sebastiani notatur. Auctor Historiae Miscellae defenditur. Praelium ad Pollentiam non satis ex vero à poetis laudari. Origo erroris, qui in Historia Miscella de Nicopoli, Epiri urbe, commissus est, ostenditur.

DIci non poteft, quam varia & incerta omnia fint, quae Graeci fcriptores de Carini & Numeriani Imp. exitu, & loco ubi evenerit, in literas retulere. Latini melius rem fuam gefferunt, quamquam & inter eos invenias, quibus merito fuccenfeas. Illuftrabimus hanc veteris hiftoriae partem, & primo locum, quo Carinus exitum fecit, conftituemus. Eutropius *L.* IX. 13. *Poftea Carinum, omnium odio & deteftatione viventem, apud Margum ingenti praelio vicit, proditum ab exercitu, quem fortiorem habebat: certe defertum inter Viminatium & Aureum montem.* Hujus dicta confirmantur ex Itinerario Hierofolymitano, quod ipfo aetate paullo effe antiquius

quius conſtat, quidquid obloquatur Sam. Petitus.

Civitas Margo M. IX.
Civitas Viminatio M. X.
Ubi Diocletianus occidit Carinum.
Mutatio Ad Nonum M. IX.

Paria ex Fl. Vopiſco, Idatio, aliiſque addi poſſent, ſi neceſſe foret. Obiter tantummodo emendabimus auctorem Collectionis Hiſtoricae ex Idatio, inſertae Caniſianis Lectionibus, *L.* II. c. 41. *Carinus in proelio victus apud Margum occiditur.* Male editum eſt *Murgum.* Nunc ad Graecos adeamus. Nicephorus Conſtantinopolitanus Patriarcha in Chronographia: Κᾶρος ἅμα τοῖς παισὶ, Καρίνῳ καὶ Νουμεριανῷ, ἔτη Β. καὶ ὁ μὲν Κᾶρος ἐν Μεσοποταμίᾳ τελευτᾷ. ὁ δὲ Καρῖνος ἐσφάγη ἐν πόλει Νουμερίᾳ τῆς Θρᾴκης. Vertit Joach. Camerarius: *Carus una cum filiis Carino & Numeriano An.* II. *Carus quidem mortuus in Meſopotamia. Carinus autem caeſus in Thraciae oppido Numeria.* Ecquid unquam vidiſti inquinatius? Joan. Bap. Cotelerius Monum. Graecor. tom II. p. 614. ex Alexandrino Chronico Nicephorum ita ſupplet: Καρῖνος ἐσφάγη ἐν Κάῤῥαις πόλει. ὁ δὲ Νουμεριανὸς ἐν Περίνθῳ τῆς Θρᾴκης. Poſterius de Numeriano facile probem, quantumvis in diverſa alii abeant. Cedrenus

drenus duos nobis obtrudere conatus est Numerianos, alterum Cari filium, quem Aper occiderit, alterum Mysiae ducem, qui, illo è vivis sublato, imperium occuparit. καὶ ἐβασίλευσε, inquit, Νουμεριανὸς δοὺξ τυγχάνων Μυσίας. Sed is veteribus omnibus plane ignoratus est, in sola Graeculorum quorundam schola natus. Joan. Malala Numerianum à Persis, postquam Carras refugerat, captum atque interfectum asseverat: Καὶ εὐθέως ἐφόνευσαν αὐτὸν, καὶ ἐκδείραντες τὸ δέρμα αὐτοῦ, ἐποίησαν ἄσκον. *Necique statim traditum excoriarunt, detractamque pellem in utrem efformarunt.* Diceres postrema haec per errorem à socordi scriptore Numeriano esse contributa, quae revera in Valerianum quadrabant, nisi Chronici Alexandrini auctor gemina de Carino narraret: Huic ille à Persis capto pellem exutam, &, posteaquam myrrha inuncta erat, in perpetuam rei memoriam custoditam esse tradit: καὶ ἐκδείραντες αὐτὸν ἐποιήσαντο δέρμα αὐτοῦ σάκκον, καὶ σμυρνίσαντες ἐφύλαξαν εἰς τὴν ἰδίαν δόξαν. Quamquam adeo, inquam, dissident de Numeriano, probem tamen facile conjecturam Cotelerii, quippe rerum gestarum ordini satis congruentem. In Carino dissentio, credoque ἐν Μάργῳ τῇ πόλει reddendum esse Nicephoro. Id res ipsa requirit, & quae paullo ante dixi. Zonarae visum est

&

& hinc recedere, & Carini mortem Romanae urbi tribuere: Θάτερος μέν τοι τῶν Κάρου υἱῶν ὁ Καρῖνος εἰς Ῥώμην διάγων, χαλεπὸς τοῖς Ῥωμαίοις ἐτύγχανεν, ἀσελγὴς γινόμενος καὶ ὠμὸς καὶ μνησίκακος. ὃς ὑπὸ Διοκλητιανοῦ εἰς Ῥώμην ἐπιδημήσαντος διεφθάρη. *Ceterum alter Cari filius Carinus, cum Romanis gravis esset, luxuriosus, crudelis & ultor injuriarum, à Diocletiano Romam ingresso occisus est.* Quod utique cum veritate pugnat. Carinus superato occisoque Juliano, qui Cari morte cognita imperium arripuerat, contra Diocletianum ivit in Moesiam, ubi dum victos avide premeret, suorum ictu interiit, Victore teste. Longius à vero abiit scriptor Actorum S. Sebastiani, qui Maguntiaci contrucidatum tradit cap. 18. *Igitur occiso Carino in civitate Maguntiaco Maximiano & Aquilino consulibus, facta est persecutio talis.* Scio Bollandi socios *Viminacio* rescripsisse, sed utrum scriptor ipse voluerit nescio. Certe rudem in his rebus fuisse multa suadent: vel unum id, quod de consulatu Maximiani & Aquilini addit, argumento nobis esse poterit. Falsissimum enim est, illis consulibus interfectum esse Carinum. Periit tertio suo consulatu, sed qui à victore Diocletiano fastis deinde erasus videtur. Idatius: *Diocletiano* II. *& Aristobulo. His Coss. occisus est Carinus Margo, qui ipso*

anno cum Aristobulo consul processerat. Maximus, quem auctor vitae S. Sebastiani perverse *Maximianum* appellat, cum Aquilino sequenti anno summo magistratu sunt functi. Frequens utriusque est memoria cum in fastis, tum in Codice Justinianeo, ut Leg. 4. & 5. de Inoffic. Donat. Rectius erroris absolvitur scriptor Actorum S. Restitutae, qui cap. I. *Nam Carinus praelio victus apud Argium occiditur.* Margum ipse reliquit, quod librarii harum rerum imperiti commutarunt. Satis de Carino & Numeriano. Controversum fecit eruditissimus Th. Reinesius, sitne memorabile ad Pollentiam Gothos inter & Romanos praelium ductu Saulis an Sari pugnatum. Ipse secundum Sarum *L.* III. Var. Lect. c. 2. pronuntiat, quantumvis Historiae Miscellae auctor extremo *L.* XIII. Sauli tribuat, quod Sarus in rebus hisce Gothicis ab Olympiodoro, Zosimo, aliisque passim memoretur. Liceat hic mihi cum viro magno dissentire. Sari fateor frequens est mentio, nec obscura tamen Saulis. Saulis, ὁ Σαῦλ, meminit Zosimus *L.* IV. c. 57. Miscellae vero Historiae auctor Orosium *L.* VII. c. 35. exscripsit: *Taceo de infelicibus illis apud Pollentiam gestis, quum barbaro & pagano duci, hoc est, Sauli, summa belli commissa est, cujus improbitate reverendissimi dies & sanctum pascha violatum est.* Neque

que opinari licet, Orosio hic vulnus esse inflictum ab aliis. Nam barbarum aliquem Saulem ea tempestate signa secutum Romana fuisse ex Zosimo diximus, & quis est, qui Saro praelium tribuat? Poetae certaminis eventum Romanis felicem fuisse canunt. Prudentius *L.* II. in Symmach. 714.

> *Illic ter denis gens exitiabilis annis*
> *Pannoniae poenas tandem deleta pependit.*

& Claudianus Belli Getici. 634.

> *Unoque die Romana rependit*
> *Quidquid ter denis acies amisimus annis.*
> *O celebranda mihi cunctis Pollentia seclis!*

Sed nimis illi laudis prodigi fuerunt. Res secus cecidit: Magna clade Romani paene victores affecti sunt. Orosius ita recenset: *Cum quidem, ostendente in brevi judicio Dei, & quid favor ejus posset, & quid ultio exigeret, pugnantes vicimus, & victores victi sumus.* Fusius vero Jornandes Rer. Getic. c. 30. ubi praeter alia haec habet. *Quem ex improviso Gothi cernentes, primo perterriti sunt, sed mox recollectis animis, &, ut solebant, hortatibus excitati, omnem paene exercitum Stiliconis in fugam conversum usque ad internecionem dejiciunt.* Verius fortasse nos ejusdem Miscellae scriptorem coarguemus, ibidem haec scribentem:

Cumque venisset in Illyricum, omnia subvertebat, & transiens Thessaliam, habita congressione circa fluvium Pinum apud Nicopolim Epiri, paene tria millia virorum ejus Thessali peremerunt. Locat Nicopolim ad Peneum, sic enim scripsit, non *Pinum;* facitque adeo Thessaliae urbem, quae sine controversia Epiri est. Vellem subvenire scriptori possem, & quomodocunque haec excusare: Sed cum MSS. conspirent, ut ex nupera Mediolanensi editione colligo, nolo operam perdere. Peccavit, quisquis auctor est Historiae, inconsiderantia, Graecique scriptoris, quem ante oculos habuit, verba male expressit: Ut unicuivis hoc dilucescat, inseramus pauca è Socrate *L.* VII. Hist. Eccl. c. 10. Διαβαίνοντι δὲ αὐτῷ, Θεσσαλοὶ ἀντέστησαν περὶ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Πηνειοῦ ποταμοῦ, ὅθεν δὲ ὄρους Πίνδου ἐπὶ Νικόπολιν τῆς Ἠπείρου διαβῆναι ἐστί. Καὶ συμβαλόντες περὶ τρισχιλίους ἀνεῖλον οἱ Θεσσαλοί. Haec si cum Historiae Miscellae verbis contendas, prorsus gemina videbis; agnosces praeterea, qui factum sit, ut in errorem scriptor sese induerit. Omisit ὅθεν δὲ ὄρους Πίνδου, & quae statim sequuntur, minus bene vertit. Haec caussa & erroris origo. Nec tamen ea praecipue Misceilae Historiae collectori debetur. Secutus est, ut nunc video, Cassiodorum Senatorem iisdem usum verbis in Historia Tripartita *L.* XI. c. 9. Quis vero est,

eſt, qui ignoret illam ex Theodoreto, Socrate & Sozomeno decerptam digeſtamque eſſe Hiſtoriam?

CAP. XXXV.

Tertullianus illuſtratur atque emendatur. Palladis Atticae ſimulacrum antiquiſſimum rudem ſtipitem referebat. Smilidis nomen redditur Callimacho & Clementi Alexandrino. Moſes quot annis Inacho, Danao, bello Trojano atque Homero ex quorundam opinionibus fuerit antiquior? Tatianus & Theophilus emendantur, & alia.

IN eſt ſcriptis Tertulliani, Afrorum longe doctiſſimi, dives variae eruditionis penus. Ubique, ſive paganos gravi oratione premat, ſeu ad virtutem Chriſtianos & ſeveriorem diſciplinam erigat, reconditos ſenſus & veteris hiſtoriae arcana ſectatur. Factum eo eſt, ut multa ejus, ſatis alioqui illuſtria & in aperto poſita, aliis obſcuriſſima fuerint viſa. Nota ſunt, quae de Pallade Attica Apologetico inſeruit. In quot opiniones itum eſt, ut ea expedirentur? Verba ſunt c. 16. *Et tamen quanto diſtinguitur à ſtipite crucis Pallas Attica, & Ceres Pharia, quae ſine effigie, rudi palo & informi ligno proſtat.* Scripta ita ſunt in Fuldenſi codice, mea quidem opinione rectiſſime. Ad-

haerescunt ad rudem palum & informe lignum, quo prostare Minervam dicit. Mihi semper Plutarchus, si quid hic difficultatis est, tollere visus est apud Eusebium *L.* III. Praepar. Evang. c. 8. ubi antiquissimam fingendorum simulacrorum consuetudinem ostensurus, rudes statuas & lignum indolatum, ut Arnobii verbis utar, in honore fuisse docet. De Pallade vero, Atticae urbis praeside, ξύλινον γὰρ τὸ, inquit, τῆς Πολιάδος ὑπὸ τῶν αὐτοχθόνων ἱδρυθὲν, ὃ μέχρι νῦν Ἀθηναῖοι διαφυλάττουσι. *Ligneum vero ab indigenis Poliadi Minervae positum, quod Athenienses hodieque servant.* Hanc Palladem informe lignum fuisse clare monet, & ipsa ejus suadet vetustas. Multis annis Daedali aetatem excellit, qui primus tamen in statuis manus pedesque à corpore disjunxisse perhibetur apud Diodorum *L.* IV. Biblioth. p. 192. Paria his sunt, quae *L.* I. ad Nationes c. 12. scripsit, etiam huc transferenda. *Quod si de hoc differentia intercedit, quanto distinguitur à crucis stipite Pallas Attica, & Ceres Pharia, quae sine forma, rudi palo, & solo staticulo ligni informis repraesentatur. Pars crucis & quidem majus est omne robur, quod de recta statione defigitur. Sed nobis tota crux imputatur, cum antemna scilicet sua, & cum illo sedilis excessu.* Significat enim & hic, è ligno fuisse eam Palladem. Sed quid est

pars

pars crucis & quidem majus? Mera profecto ſtribiligo. Salmaſius in Solinum p. 94. *& quidem major* refinxit, ſententia longe meliore. Si mihi cum tanto viro diſſentire liceret, *malus* mallem. *Pars crucis eſt quidem malus & omne robur*. Solent enim veteres Chriſtiani in navi plenis impulſa velis formam crucis invenire. Arborem navis appellat partem crucis, unde mox *antemnae* meminit. Sed hoc obiter. Aliorſum me vocat Plutarchi apud Euſebium locus. Habetur inibi Callimachi epigramma de ſimulacro Junonis Samiae. Nolo retexere, quae viri in hoc ſtudiorum genere principes Iſ. Voſſius, Kuhnius & Bentlejus in id moliti ſunt. Id pace eorum profiteri liceat, nondum videri initium epigrammatis ſatis expeditum. Vulgo circumferri ſolet.

Ὅυπω σκέλμιον ἔργον κ. λ.

Bentlejus hinc Σκέλμιος extudit, quo tamen nomine ſtatuarium neminem ex eruditionis ſuae copiis proferre potuit: Addit poſſe & Κέλμιος vel Κέλμιον legi. Abiit in poſteriorem quoque ſententiam Kuhnius ad Pauſaniae Achaic. c. 4. Fuitque hoc nomine inſignis ex Idaeis Dactylis unus. Sed quis omnium eſt, qui huic auctori contribuerit ſimulacrum Junonis Samiae? Ipſa epigrammatis ſententia abeſſe hinc jubet Celmin. Quo ille vivebat tem-

tempore informes & rudes erant ſtatuae. Ab illis Samiae hoc Junonis ſignum diſtinguitur, tanquam elegantius. Ne longum faciam. Noſti juxta mecum ex Atheganorae verbis, quae ſupra dedi, Smilidi Samiae Junonis ſimulacrum adſcribi. Ejus hic poſitum fuiſſe a Callimacho nomen opinor. Vidit hujuſmodi quid Kuhnius: *Nec dubito*, inquit, *futuros, qui* Σμίλιον ἔργον *malint ex Pauſania, quos ſuo ſenſu abundare libenter patimur*. Recte praeſtantiſſime Kuhni. Nobis id unice arridet, facile paſſuri, ſi quis certiora doceat. Refingamus itaque tantisper:

> Οὔπω Σμίλιδος, aut ſi malis, Σμίλιον ἔργον. κ. λ.

& eadem opera Clementi Alexandrino medicinam faciamus, ſcribenti in Protreptico p. 30. Τὸ ἐν Σάμῳ τῆς Ἥρας ξόανον σμίλῃ τῇ Εὐκλείδου πεποιῆσθαι Ὀλύμπιχος ἐν Σαμιακοῖς ἱστορεῖ. Vertunt: *Junonis autem Samiae ſtatuam factam eſſe Euclidis ſcalpro in Samiacis Olympichus refert*. Ego vero non dubito, quin dederit Σμίλιδι Εὐκλείδου, *a Smilide Euclidis filio*. Cauſſas habeo, quod Euclides ſtatuarius vix ſit notus: ad hoc Smilis patre Euclide fuit natus, illique fabrica ſigni Junonis Samiae tribuitur. Non repetam Athenagorae c. 14. verba. Unius Pauſaniae teſtimonio de-

fungar

fungar Achaic. c. 4. ubi de hac Junonis statua: Ἔστι γὰρ δὴ ἀνδρὸς ἔργον Αἰγινήτου Σμίλιδος τοῦ Εὐκλείδου. *Est enim Smilidis Aeginetae Euclidis filii opus.* Vides, quod dicebam. Redeo ad Tertullianum, unde me Smilis avocarat, qui Apolog. c. 19. *Si quem nosti interim Moysem, Argivo Inacho pariter aetate est: quadringentis pene annis, nam & septem minus, Danaum, & ipsum apud vos vetustissimum, praevenit. Mille circiter cladem Priami antecedit. Possem etiam dicere quingentis amplius & Homerum, habens quos sequar.* Sic Rigaltius, sic alii vulgarunt. A Rhenano est: *Argivo Inacho parem aetate octingentis pene annis ante urbem conditam: nam & centum septuaginta Danaum ipsum apud vos vetustissimum praevenit: Mille,* & quae sequuntur. Non multum hinc recedit Aldus, nisi quod ediderit: *Trecentos circiter cladem*, & reliqua. His omnibus inter sese compositis vir Clarissimus, cui elegantem Apologetici editionem debemus, hanc Tertulliani scripturam fuisse arbitratur. *Argivo Inacho pariter est aetate quadringentis pene annis.* Tum vero ex Aldi Rhenanique editionibus: *Octingentis ante urbem conditam, centum & septuaginta Danaum*, &c. *Trecentos circiter cladem Priami.* Mihi, quod cum ejus venia dixerim, in vulgatis nihil prorsus movendum mutandumve videtur. Non

 qui-

quidem diffiteor, potuisse accuratius suis temporibus haec a scriptore dividi. Verum non hic quid debuerit, sed quid reapse reliquerit, inquirimus. Ibimus per partes, ut verum perluceat. Inachum Mosi aequalem fuisse antiquissimi Christiani opinati sunt. Eusebius ab illis dissensit, durius inde habitus à Syncello Chronographiae p. 63. Praeteritis Justini Martyris, Africani, Clementisque Alexandrini testimoniis, uno duntaxat utar Tatiano c. 60. Διόπερ εἰ κατὰ Ἴναχον πέφηνεν ὁ Μωσῆς γεγονώς. *Quamobrem si Moses Inacho sit aequalis.* Propius quidem pro suis rationibus Mosem bello Trojano adjungit, quam Tertullianus. At hoc mirandum non est. In eo calculo alios ille duces habuit. Prius vero quam ad cetera aggredimur, figamus hic paullisper gradum, & haec Tatiani, quae mox subnectuntur, examinemus: ἀποδείκνυται δὲ τοῦθ' οὕτως ἔχον, ἀπό τε τῆς τῶν Ἀττικῶν βασιλέων διαδοχῆς, καὶ Μακεδονικῶν, καὶ Πτολεμαϊκῶν, ἔτι δὲ καὶ Ἀντιοχικῶν. *Quod ita se habere demonstratur per successiones Atticorum regum, & Macedonicorum, & Ptolemaicorum. & Antiochicorum.* Dicit ostendi posse, Mosem quadringentis annis Trojanum bellum antevenisse ex successionibus eorum regum. Hoc vero mihi, ut ingenue dicam, a veritate videtur alienissimum. Excipio reges Atheniensium. Ceteris

quid

quid facies? Quisquamne ex Macedonicorum, Lagidarum & Seleucidarum successionibus Mosem cccc. annis Trojano bello superiorem esse probabit? Illi eo tempore nulli erant, ne fando quidem cogniti. Quo ergo modo ex illis sibi invicem succedentibus Mosis aetas Trojana clade antiquior finiri poterit? Haec Tatiano non sunt digna, & parum abest, quin illa καὶ Μακεδονικῶν, καὶ ἑξῆς pro glossemate habeam, quantumvis eadem Eusebius *L.* x. Praepar. Evang. c. 11. in Tatiani oratione invenerit. Nunc ad incoeptum redeo. Mosem cccxciii. annis Danao facit priorem. Hoc si a Tertulliano venit, male in fragmento, quod ultimae Apologetici editionis fini adnexum est, erit: *Superior invenitur* Moses *annis circiter trecentis, quam ille antiquissimus penes vos Danaus in Argo transvenisset*. Dederat ipse *annis circiter quadringentis*, &, *in Argos*. Esse Tertulliani, codices confirmant, & Josephus *L.* 1. cont. Apion. c. 16. quem hic doctorem habuit. Ἡμέτεροι δὲ πρόγονοι, τρισὶ καὶ ἐνενήκοντα καὶ τριακοσίοις ἔτεσιν ἐκ τῆς Αἰγύπτου ἀπαλλαγέντες, τὴν χώραν ταύτην ἐπῴκησαν, ἢ Δαναὸν εἰς Ἄργος ἀφικέσθαι. *Majores nostri annis ante tribus & nonaginta supra trecentos ex Aegypto egressi regionem illam insederunt, quam Danaus Argos venisset*. Hausit indidem Theophilus *L.* 111. ad Autolycum c. 20. pariter

cor-

corrigendus. Numerat annos CCCXIII. inter Mosem & Danaum. περὶ ἐτῶν γὰρ, inquit, τετρακοσίων δεκατριῶν κ. λ. Josephi & Tertulliani auctoritas ἐνενήκοντα τριῶν expostulat. Nam in his Theophilum Josephi vestigiis inhaesisse, certa atque explorata res est. Restant mille anni, quibus Trojanum excidium Moses exsuperavit. Sumpsit eosdem Tertullianus è Josepho, qui exitum suae gentis ex Aegypto ἐγγύς που προτερεῖν τῶν Ἰλιακῶν ἔτεσι χιλίοις, *Trojana tempora annis prope mille antecedere* ait *L.* 1. in Apion. c. 16. Habentur iidem in fragmento. *Trojano demque praelio ad mille annos ante est*, ut dubitandum non sit, probasse eum annorum numerum. Videri quidem posset pluribus annis ex doctoris nostri sententia Moses Trojano exitio major ob haec Lib. de Anima c. 28. *Multo antiquior Moyses etiam Saturno, nongentis circiter annis, nedum pronepotibus ejus.* Sed ea ego non satis sana esse existimo. Moveor fragmento, in quo ita de Saturno. *Unde & ipso Saturno. Secundum enim historiam Thalli, qua relatum est bellum Assyriorum, & Saturnum Titanorum regem cum Jove dimicasse, ostenditur bellum* CCCXX. *& duobus annis Iliacum exitium antecessisse.* Gemina his in Theophili *L.* III. ad Autolyc. 30. leges, & ex Theophilo apud Lactantium *L.* I. C. 23., ut de annis

nis ambigere non liceat. Si *ſeptingentes circiter annis* ſcripſeris, ſecum & aliis Tertullianus conſentiet. Denique, de Homeri quae ſcribit aetate, Moſis CIↃIↃ. annis juniore, bene habent: Facile nominare poterat, quos ſequebatur. Audi Clementem Alexandrinum *L.* I. Stromat. p. 327. Ναὶ μὴν Θεόπομπος μὲν ἐν τῇ τεσσαρακοστῇ τρίτῃ τῶν Φιλιππικῶν μετὰ ἔτη πεντακόσια τῶν ἐπὶ Ἰλίῳ στρατευσάντων γεγενέναι τὸν Ὅμηρον ἱστορεῖ. *Sane Theopompus in* XLIII. *Rerum Philippicarum Homerum* IↃ. *annis poſt eos, qui ad Trojam militarunt, fuiſſe narrat.* Jam vero, his omnibus ita conſtabilitis, quid aliud reliquum eſt, quam, quae Aldus Rhenanusque produxere, ex Criticorum quorundam conjecturis videri nata.

CAP.

CAP. XXXVI.

Novatiani varia loca explicantur & emendantur. Legisse eum in Joanne, & Deus erat verbum, probatur. Facundi Hermianensis verba illustrantur, ostenditurque librarios saepe per imprudentiam in describendo integros versus transiliisse, aliaque.

NOvatiano, non inepto scriptori, opem feremus. Probaturus in libro de Trinitate Jesum Christum esse Deum sic cap. 23. instituit. *Si homo tantummodo Christus, quomodo dicit, ego ex Deo prodii & veni, cum constet hominem à Deo factum esse, non ex Deo processisse. Ex Deo autem homo quomodo non processit, sic Dei verbum processit, de quo dictum est. Eructavit cor meum verbum bonum. Quod quoniam ex Deo est, merito & apud Deum est. Quodque quia non otiose prolatum est, merito omnia facit. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sed enim hoc verbum, per quod facta sunt omnia. Et Deus, inquit, erat verbum. Deus ergo processit ex Deo, dum qui processit sermo Deus est, qui processit ex Deo.* Esse in hac Novatiani argumentatione quaedam luxata atque affecta, facile quivis animadvertit: Quid enim volunt? *Sed enim hoc verbum, per quod facta sunt*

sunt omnia. Nonne praeterea ineptissima est oratio & prorsus sine mente? *Deus ergo processit ex Deo, dum qui processit sermo Deus est, qui processit ex Deo.* Vidit hoc vir Doctus, qui se Artemonium appellavit, succurritque scriptori suae suspicioni serviens: *Sed enim cujus hoc verbum, per quod facta sunt omnia? Et Dei, inquit, erat verbum. Deus ergo processit ex Deo, dum qui processit sermo Dei est.* Prima fronte hoc longe aptissimum videtur, & sententiae Novatiani accommodatissimum, non item, si paullo penitius introspicias: Nam quaeso te, debuitne Novatianus in postremis his verbis interrogare, cujus sit sermo, quem in superioribus Dei esse commonstrarat? *Quod quoniam ex Deo est, merito & apud Deum est.* Imo vero ostendere debuit, sermonem esse Deum: id enim argumento deerat. Sermonem esse Dei sermonem ex Psalmo monuerat: eum fuisse apud Deum, & per eum esse omnia facta addiderat: restabat, ut sermonem esse Deum itidem doceret. Vides ergo scripsisse: *Sed enim hoc verbum per quod facta sunt omnia Deus est: Et Deus, inquit, erat verbum.* Jam quoque per te cognoscis sequentia ita edidisse: *Deus ergo processit ex Deo, dum qui processit sermo Deus est, quia processit ex Deo.* Neque erit, ut crimineris nimiam hanc esse mutationem, ubi ex ipso scriptore demonstravero

ro, utramque nihil ab ejus sententia dissonare. Verba vero *Deus est* praetermissa praeteritaque sunt à socordi librario, cum inter scribendum ejus oculi in proximum Joannis testimonium flecterentur: Notissima & frequentata hujuscemodi sunt peccata. Et ne longe quaeramus, recognosce haec Novatiani ex Epistola de cibis Judaicis, c. 3. *Quis stellionem? sed maculas exsecratur, praedam de aliena morte quaerentes.* Hic quin evenerit exscriptori, quod in priore loco, non dubium est. Quaenam enim illae maculae, *praedam ex aliena morte quaerentes?* Nullas esse videbis ex Isidori, qui Novatiani verbis usus est, Commentario in Leviticum, sed veram, uti olim in Epistola de cibis Judaicis erat, scripturam. *Quis stellionem? Sed maculas mentium exsecratur. Quis accipitrem, quis milvum, quis aquilam? sed odit raptores ac violentos, scelere viventes. Quis vulturem? sed exsecratur praedam de aliena morte querentes.* Apparet, quod & alii recte monuerunt, fraudi fuisse librario verbum *exsecratur*, semel iterumque positum, prorsus ut in nostro loco vocula *Deus*. Monstremus nunc, censuisse Novatianum, recte Deum appellari, qui ex Deo natus sit, atque ex eo processerit. Hoc profitetur & inculcat c. 26. *Nisi quoniam ex utroque latere nos veritas in istam concludit sententiam, qua intelligere debeamus, Dei filium*

filium fuisse, qui quoniam ex Deo est, merito Deus, quia Dei filius dictus sit. Id ipsum condocefecit c. 23. *Qui idcirco unum potest dici, dum ex ipso est, & dum filius ejus est, & dum ex ipso nascitur, dum ex ipso processisse reperitur, per quod & Deus est.* Jam credo bene se habere agnoscis, quod scribendum esse existimavimus: *Deus ergo processit ex Deo, dum qui processit sermo Deus est, quia processit ex Deo.* Restat, quod requirere videris, ut comprobetur, Novatianum Verbum Deum appellasse. Id vero factu facile erit. Quid enim? Nonne Verbum manifesto Deum appellat c. 25. *Ac si hic verbum Dei est, nam eructavit cor meum verbum bonum, ostendit in principio verbum fuisse, & verbum hoc in principio apud patrem fuisse, Deum praeterea verbum fuisse, omnia per ipsum facta esse.* Nonne porro ipsa Joannis verba exprimit? Dicere velle, respicere quidem Joannis initium, sed id non ubique Joanneis verbis repraesentare, ac quemadmodum *Patrem* posuit pro *Deo*, sic etiam Deum Verbum pro Dei Verbo, quid est, nisi pro comperto habere, quod in quaestione est, meritoque negatur? sed id perurgere nunc non libet: Suffecerit nobis, satis ex his parere, non injuria arbitratos nos esse, dedisse olim Novatianum: *Sed enim hoc Verbum, per quod facta sunt omnia, Deus est.* Et ne qui dubitationi

tioni locus relinquatur, addamus ex c. 19. *Ac sic facta est angeli voce, quod nolunt haeretici, inter filium Dei hominisque, cum sua tamen sociatione, distinctio, urgendo illos, uti Christum, hominis filium, hominem intelligant quoque Dei filium, & hominem Dei filium, id est Dei verbum, sicut scriptum est, Deum accipiant.* Habes hic denuo Deum Verbum, & quidem *uti scriptum est.* Ubi vero? Artemonius ex Apocalypsi, in qua nusquam Verbum Deus appellatur, repetitum opinatur, rogatque satis festive, cur non urget Artemonitas, ut *Verbum Deum, sicut scriptum est, accipiant?* Quasi vero Novatiano Christum, quem Dei Verbum, & Deum Verbum venerabatur, Dei Verbum cognominare interdicto vetitum fuerit. Et quid si ita scripserit? Profecto, uti nunc legitur, minus sanus est locus. In Frobeniana editione ita reperio: *Et hominem Dei filium, id est verbum, sicut scriptum est, Deum accipiant.* Sine dubio paullo melius: Integra videbuntur omnia, si inducta una voce, quae intempestive hic est inculcata, secutus veterum editionum vestigia legeris: *Et Dei filium, id est verbum, sicut scriptum est, Deum accipiant.* Atque hoc toti orationi convenientissimum est, sententiaeque scriptoris egregie respondet, non diffitente viro Docto. Liceat indidem nobis cogere, nihil abesse à Novatiani

ni opinione eam, quam dedimus, mutationem: *Sed enim hoc verbum, per quod facta sunt omnia, Deus est.* Ne quis vero debita laude fraudetur, scire licet juxta mecum sentire Cl. Joan. Jaksonum in eleganti Novatiani editione. Non sum eorum ignarus, quae Artemonius Jaksono rescripsit, nec moveor tamen, ut cum superioribus dissentiam. Liti, quam viri Doctissimi susceperunt, me non interpono. Id dissimulare non possum, nec opinato mihi accidisse constitutionem, qua decernitur: Scribas, si quae verba propter similia sequentia festinantes praetermittant, tunc praetermittere & transilire omnia, quae inter duo consimilia erant interposita: si quid ejusmodi hoc loco evenisset, futurum fuisse: *Sed enim hoc verbum, per quod facta omnia sunt, Deus, inquit, erat verbum:* At enim hic reperiri copulam *Et* ante *Deus:* Non ergo inconsiderantia, sed consulto consilio a falsariis locum videri corruptum. Mirum, inquam, hoc mihi accidit, satis gnaro nihil certi hic posse decerni. Quam multa in utriusque linguae scriptoribus saepe neglecta a dormitantibus sunt librariis, quorum occasio ignoratur? Proptereane statim falsarii incusandi & in scenam producendi sunt? Nolo multa verba consumere, ut appareat tamen regulae incertum, uno defungar exemplo. Facundi Hermianen-

fis *L.* I. c. 3. haec sunt: *Sicut ergo, quamvis non recte simul dicatur, una persona filii ex Trinitate crucifixa, & recte item de ipsa persona singillatim dicitur, quod filii sit: ita quamvis non recte simul dicatur, unus filius ex Trinitate crucifixus: recte tamen singillatim dicitur, unus ex Trinitate crucifixus, & item de ipso uno, quod filius sit.* Manca & truncata haec esse verba, si attendas, facile perspicies. Illa enim: *Et recte item de ipsa persona singillatim dicitur*, & quae sequuntur, non respondent prioribus. Facta hic à negligenti exscriptore omissio est verborum, quae praestantissimus Veronensis codex servavit: *Recte tamen singillatim dicitur, una persona ex Trinitate crucifixa, & recte item de ipsa persona &c.* Omisit autem librarius occasione vocis *recte*, quae in altero membro est, & transiliit intermedia omnia praeter copulam *Et*, prorsus ut in eo loco, de quo controversia est. Accusabimusne hic corruptrices falsariorum manus? decernemus negligi debuisse copulam, ut legitima habeatur omissio? Non fecero, neque postulem incerta haec ratione certa facere, ne, quod sequitur, audiam. Vides ergo nihil alienum ab ingenio suo praestitisse amanuenses, cum in Novatiano, ceteris praeteritis, voculam *Et* retinerent. Possem nunc in his acquiescere. Cum enim verbis productis adnectat, *Et Deus, inquit, erat*

ver-

verbum, ac alibi profiteatur, ſcriptum eſſe, *Deum eſſe verbum*, nuſquam vero niſi in Joannei Evangelii initio id lectitetur, videri omnino Novatianum haud aliter, atque omnes in Joanne legimus, inveniſſe, prorſus probabile ſit. Quia tamen omnibus machinis ex Novatiano *Et Deus erat Verbum* exturbare viro Docto placuit, nondum hinc diſcedamus. Et ne praejudicio ejus conatum gravemur, veniamus in rem praeſentem. Sic leges cap. 30. *Quippe cum etiam illa, quae in ſcripturis ſunt poſita, Chriſti Divinitates inſignia, nullo modo debemus recuſare, ne ſcripturarum auctoritatem corrumpendo, integritatem fidei ſanctae corrupiſſe teneamur. Et hoc ergo credamus, ſiquidem fideliſſimum, Dei filium Jeſum Chriſtum Dominum & Deum noſtrum: Quoniam in principio erat verbum, & verbum erat Deus, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum: & verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Et: Dominus meus & Deus meus. Et: Quorum patres, ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia benedictus Deus in ſecula.* Hic ſi Novatianus legerit, *Et Dei erat Verbum*, multum decedit deteriturque argumento, quo Chriſtum expreſſe Deum fuiſſe appellatum oſtendere debuit. Aberit quoque Divinitatis Chriſti inſigne, cujuſcemodi ſe producturum innuerat. Relinque vero,

 uti

uti editum eſt, omnia liquida & propoſito ſcriptoris accommodata reperies. Quid hic vir Doctus? *Et hoc, inquit, credamus. Quid opus eſt his monitionibus & ſuaſionibus, ſi re ipſa expreſſe legiſti Novatiane, Et Deus erat Verbum? Librariis enim tuis aut falſariis libri tui hoc loco non credimus.* Tuam fidem! hoccine tandem eſt candide agere? Si ea vera, quae excerpſi, ergo nec Thomae verba, *Dominus meus & Deus meus*, ex Novatiani ſententia Chriſtum Deum praedicabunt. Ergo nec Paulli ex Epiſtola ad Romanos locus, *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia benedictus Deus in ſecula*, expreſſe Chriſtum Deum indicabit, quorum utrumque à vero longe remotiſſimum eſſe conſtat. Videamus etiam illas monitiones & ſuaſiones. Dixerat in anterioribus Novatianus. *Nos enim & ſcimus, & legimus, & credimus, & tenemus unum eſſe Deum, qui fecit coelum pariter & terram.* Aggerat dein varia ſacri codicis loca, quibus unus Deus rerum omnium inſtitutor & creator indicatur. Tandem ſubnectit. *Sed quomodo hoc tenemus, & legimus, & credimus, ſic ſcripturarum coeleſtium nullam partem praeterire debemus, quippe cum etiam illa quae in ſcripturis ſunt poſita Chriſti Divinitatis inſignia*, & reliqua. Eſtne hoc monere & ſuadere, ut eum credas eſſe Deum, qui in ſacris literis nuſquam

Dei

Dei ornetur titulo? Imo vero cohortatur Novatianus suos lectores, ut quemadmodum unum Deum verba praeunte sacro codice credunt confitenturque, ita pariter Christum Deum habeant colantque iisdem literis auctoribus. Quare sicuti in verbis Apostolorum Thomae & Paulli Christus expresse Deus nuncupatur, oportet etiam in Joannei Evangelii initio. Fuit ergo in Novatiani Joanne, quod nunc Christiani omnes amplectuntur, *Et Deus erat verbum*. Lubentes interea & grati recipimus, quod idem Vir Doctus observavit, impegisse librarios in verbis anterioribus, neque *Et verbum erat Deus*, sed, *Et verbum erat apud Deum* olim scriptum exstitisse. Id res ipsa & Joannis Evangelium confirmant. Animum vero ad hoc exemplum adverte, & vide, quam sine caussa saepe incusentur falsarii: Illorum intempestivae diligentiae acceptum refertur, quod in Novatiano obvium est, *Et Deus erat verbum*. Arguuntur acsi ad receptam sua tempestate lectionem verba illa conformarint. Ecquae ratio est, qua cohibiti sunt ab hoc loco cum editis conciliando? Quid impigros homines subegit, quominus hic antiquum obtinerent? Nisi hujus animi frustra sum, hinc liquidum est, non tantum semper librariorum esse peccatum, quantum jactatur. Studiose illi plerumque, quod inveniebant,

exſcribebant, parum curantes bonum malumne eſſet. Unde fieri vix potuiſſe videtur, quin aliquod veteris illius ſcripturae, ſi unquam obtinuerit, *Et Dei erat verbum*, veſtigium in libris ſuperet, quod ſecus eſſe exploratiſſimum eſt. Sed hoc nunc non agimus. Alium Novatiani locum conſideremus, quo tamen uti non conſtitui. Docturus Chriſtum, Dei Verbum, & hominem fuiſſe & Deum ita ſermocinatur c. 13. *Nam & vocatur nomen ejus verbum Dei, nec immerito. Eructavit, inquit, cor meum verbum bonum, quod verbum regis nomine conſequenter appellat inferendo: Dico ego opera mea regi. Per ipſum enim omnia facta ſunt opera, & ſine ipſo factum eſt nihil. Sive enim, inquit Apoſtolus, throni, ſive dominationes, ſive virtutes, ſive poteſtates, viſibilia & inviſibilia, omnia per ipſum conſtant. Verbum autem hoc illud eſt, quod in ſua venit, & ſui eum non receperunt. Mundus enim per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. Verbum autem hoc erat in principio apud Deum, & Deus erat verbum. Quis igitur dubitet, cum in extrema parte dicitur, Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, Chriſtum, cujus eſt nativitas, & quia caro factus eſt, eſſe hominem, & quia verbum Dei, Deum incunctanter edicere eſſe.* Non urgebo, inquam, hunc locum, quamvis prima fronte ſpecioſum. Perſuaſus enim ſum,

ſum, verba, de quibus diſputamus, hinc auferenda eſſe. Recognoſce orationem, & videbis, nulli hic eſſe uſui. Argumentatur Novatianus ex Apocal. XIX. 13. Verbum Dei Deum eſſe vincere nititur, quod ex Deo ſit, omniaque crearit: Prius ex Pſalmo XLV. comprobat. Poſterius ex Paullo & Joanne, additque ex eodem, Verbum hoc fuiſſe in principio apud Deum. Quoniam vero idem Verbum carnem induit, inde cogit, ſine cunctatione, quia Verbum caro factum eſt, eſſe Chriſtum hominem, & quia Dei Verbum, Deum edicendum. Si ex principio Evangelii Joannei argumentum duxiſſet, aliter ac fecit, concluſiſſet orationem, tenuiſſetque Chriſtum eſſe Deum. Dices hanc vim eſſe, & alia via Novatiano poſſe ſubveniri. Fac ergo fuiſſe *Et Dei erat verbum*: Ecquod pondus, ecqua major lux adfertur argumento? Tantine erat, ut, quod paucis ante verſibus erat oſtenſum ex Joanne, Chriſtum eſſe Dei Verbum, ex eodem Joanne de integro doceretur? Equidem quanto magis haec relego, tanto pronior ſum in eam partem, quae, ſive *Et Deus erat verbum*, ſeu *Et Dei erat verbum* legiſſe velis, inducenda arbitratur. Sibi ſine illis oratio conſtat, additis abundat. Abſtinebimus ergo hoc loco, ceteris contenti, quibus Novatiano in Joanne occurriſſe *Et Deus erat*

Verbum apparuit. Saepe fateor Christum Dei Verbum vocat, sed vocat & Deum Verbum: Et quis ignorat, eos, qui Jesum Christum Deum esse credunt, & tota mente colunt, millies Dei Verbum eloqui. Praeivit Joannes in Apocalypsi: Utraque dictio rem eandem adsignificat. Cur id ergo refugerent, quod Apostolo probatum personarum distinctionem clare exprimit?

CAP. XXXVII.

Disputatur de verbis quibusdam Philostrati & Palinodiae Stesichori. Vitruvio ex veteri libro sua restituitur scriptura. Stratoniceum de templo apud Smyrnenses Stratonices reginae. Dicaearchus illustratur. Quid apud Vitruvium sit in scripto libro Chropsi Thraciae? Maximus Philosophus variis locis emendatur. De Jesu nomine Evagrii verba explicantur.

VAria in hoc caput quasi per saturam congeremus. Narrat Philostratus *L.* VI. Vit. Apollonii c. 11. usum ad Aegyptios his fuisse verbis Apollonium: Ἀλλ' εἰ μέν τις ὑμᾶς ἔχει σοφία Ἱμεραίου ἀνδρὸς, ὃς ᾄδων ἐς τὴν Ἑλένην ἐναντίον τῷ προτέρῳ λόγῳ, παλινῳδίαν αὐτὸν ἐκάλεσεν, καὶ ἔστιν ἔτυμος ὁ λόγος οὗτος, ἤδη καὶ αὐτοὺς ὥρα λέγειν ἀμείνω, τῆς νῦν παρεστηκυίας μεταβαλόντας περὶ αὐτῶν δόξης. Vertit Cl. Olearius.

rius. *Si autem ſapientiae quippam vobis ineſt viri Himeraei, qui de Helena contraria canens priori carmini, Palinodiam id appellavit, ſique mea oratio iſta vera deprehendatur: tempus certe eſt, ut vos etiam meliora ſtatuatis, quam tenuiſtis huc uſque, mutata de illis ſententia.* Quid in his me praepediat, quam breviſſime exponam: Verba ſunt, καὶ ἔστιν ἔτυμος ὁ λόγος οὗτος. Illa me remorantur. Cl. Olearius ſuſpendi adhuc orationem monet à conditionali εἰ, quae initio eſt hujus periodi. Quorſum ergo referemus? an ad ea quae de Steſichoro dicit? an ad eam orationis partem, qua Indorum reprehenſores coarguit? Ad Steſichorum nihil opus erat. Sive vera ſeu falſa eſſet de ejus Palinodia fabula, hac uti ſimilitudine poterat. Eſt enim illa Palinodia inter Rhetorum pigmenta, uſique plures ſunt, praeterque alios Ariſtides in Palinodia ſua de Smyrna. Si ad partem orationis invectivam, quamquam verborum ordo vetat, referas, ne tum quidem bona fuerint. Satis oſtenderat Apollonius, non recte eos obtrectare Indis, nec de veritate ambigi poterat. Sed quid ego his immoror? Verba ea fragmentum ſunt Palinodiae Steſichori. Orſus enim eam ita eſt, teſte Platone in Phaedro p. 243. Ὀυκ ἐστ' ἔτυμος ὁ λόγος οὗτος, ὀυδ' ἔβας ἐν νηυσὶν ἐυσέλμοις, ὀυδ' ἵκεο Πέργαμα Τροίας. Vidiſſe id putem Morel-

lum, cum edi juſſit in Philoſtrato, οὐκ ἔςιν ἔτυμος κ. λ. Recte quidem, ſi Steſiochori Palinodiam conſideres: Non item, ſi orationem Apollonii; niſi ſi velis, ipſum Palinodiae principium ab eo fuiſſe allatum, quod tamen cui bono foret, nemo facile dixerit. Ut verum profitear, ſemper opinatus ſum, verba ea aliunde in orationem immigraſſe. Tolle ea, & omnia apta & bene connexa eſſe videbis. Notiſſimum erat id Palinodiae initium, & viris doctis in frequenti uſu. Cicero uſurpavit *L.* IX. ad Attic. 12. Οὐκ ἐς' ἔτυμος ὁ λόγος, *ut opinor, ille de ratibus.* Occaſione Palinodiae, quam Apollonius memorabat, ad marginem appictum fuiſſe, inde vero in orationis contextum importatum videtur. Sed haec conjectura eſt. Alia adferemus. In Vitruvio *L.* V. c. 9. leges. *Et exeuntibus e theatro ſiniſtra parte Odeum, quod Athenis Pericles columnis lapideis diſpoſuit, naviumque malis & antennis è ſpoliis Perſicis pertexit. Idem autem etiam incenſum Mithridatico bello rex Ariobarzanes reſtituit, Zmyrnae ſtrategeum.* Diſputant viri egregii, quid tandem ſtrategeum ſit. Guil. Philander armamentarium intelligit, ubi hoſtium manubiae deponerentur, aut praetorium, quo convenirent milites. Non multum hinc abit Bernardin Baldus in Lexico. Utrumque ad probandum viris illis erit difficile. Si fanum

eſt

eſt vocabulum, ſtrategeum rectius retuleris ad στρατηγὺς Smyrnenſium, quorum in inſcriptionibus frequens mentio. *Strategeum* στρατηγεῖον eſt, ubi Strategi agitant. Sed rectum non eſſe, MSS. Franequeranus indicat. Praefert *Strationiceum*, corruptum quidem, at, ſi parum adjuvetur, veram Vitruvio ſcripturam redditurum. Ductus literarum *Stratoniceum* poſtulant, neque dubium mihi eſt, quin id voluerit Vitruvius. Forma vocis monet eſſe templum Stratonices. Cum vero inter Seleucidas & Attalicas reginas hoc fuerint nomine inſignes, cui conſecratum fuerit, non adeo in aperto erat. Conſultus à me amiciſſimus Ti. Hemſterhuiſius & emendationem comprobavit, & quam Stratonicen Smyrnaei templo decoraverint, docuit ex eorum decreto, quod inter Oxonienſia Marmora primum eſt.

ΚΑΙ ΔΙΑ ΤΟΜ ΠΑΤΕΡΑ ΑΥΤΟΥ ΘΕΟΝ
ΑΝΤΙΟΧΟΝ
ΚΑΙ ΤΗΜ ΜΗΤΕΡΑ ΤΗΝ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ
ΘΕΑΝ
ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΗΝ ΙΔΡΥΣΘΑΙ ΠΑΡ ΗΜΙΝ.

Et quibuſdam interpoſitis.

ΤΟ ΤΕ ΙΕΡΟΝ ΤΗΣ ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΙΔΟΣ
ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΑΣΥΛΟΝ ΕΙΝΑΙ.

Docent, uti advertis, Deae locum apud ſe

 ob-

obtinuisse Stratonicen, Demetrii Poliorcetae filiam, Seleuco ac dein Antiocho enuptam: illius statuam fuisse dedicatam, imo templum Veneris Stratonicidis sese architectatos esse. Tacitus An. III. 63. ex imperio Apollinis eam Veneri huic dicatam fuisse aedem significat. Est quoque ejus servata memoria in lacera inscriptione, inventa ad Meletem fluvium, his diebus in Appendice Praefationis Inscriptionum Guidianarum publicata. Quo vero alio nomine vocari id templum potuit, quam *στρατονικεῖον*, *Stratoniceum*? Eadem forma, ut alia mittam, in Thyatirena inscriptione apud Sponium est ΣΑΜΒΑΘΕΙΟΝ. Delubrum notari vox ipsa loquitur. Erat, cum putarem, Sambatho sive Sanbato fuisse statutum. Non fuisse in Asia id nomen invisitatum lapis Ancyranus ostendit apud Turnefortum Epist. XXI.

ΟΥΑΛΗC ΚΑΙ ΣΑΝ-
ΒΑΤΟC ΤΗ ΙΔΙΑ ΜΗ-
ΤΡΙ ΑΝΕCΤΗCΑΝ ΤΟΝ
ΒΩΜΟΝ ΜΝΗΜΗC
ΧΑΡΙΝ.

Sed cum de cultu hominis apud Thyatirenos nihil prorsus patescat, nolim hic quicquam constituere, nedum illis adversari, quae de Sambethe ad Aelianum Celeb. Jac. Perizonius com-

commentatus eſt. Hoc in tranſcurſu dictum ſit. De loco Vitruviano id monere oportet: Codicem noſtrum priora edere. *Et exeuntibus è theatro ſiniſtra parte Odeum, quod Themiſtocles columnis lapideis diſpoſitis*, & cetera. Ultimum non improbavero, quamquam de Themiſtocle aliter ſentio. Falſum enim eſt, huic auctori Odeum Atticum deberi. Omnes Pericli adſcribunt. Atque hic negligere nolo egregiam opem, quam Dicaearcho Hemſterhuſius noſter tulit. Ita Dicaearchus ſcribit. Ὠδεῖ ἦν τῶν ἐν τῇ οἰκυμένῃ κάλλιςον θέατρον, ἀξιόλογον. nulla juſta ſententia. Quanto rectius hoc eſt? Ὠδεῖον τῶν ἐ. τ. ο. κάλλιςον. θέατρον ἀξιόλογον. μέγα καὶ θαυμαςὸν. Ἀθηνᾶς ἱερόν. Ego certe non vereor, hanc ipſam Dicaearchi ſcripturam profiteri. Redeo ad Vitruvium, cujus *L.* VIII. c. 3. haec ſunt. *Uti fuiſſe dicitur Terracinae fons, qui vocabatur Neptunius, ex quo qui biberant imprudentes, vita privabantur, quapropter antiqui eum obſtruxiſſe dicuntur, & Cychros in Thracia lacus, ex quo non ſolum qui biberint, moriuntur, ſed etiam qui laverint.* Sic eſt in editione, quae Venetiis initio ſeculi XVI. impenſis Joan. de Tridino vulgata eſt. Philander ex Plinii *L.* XXXI. N. H. c. 2. *apud Cychros* reſcripſit, contulitque ψυχρὸν ποταμὸν, *Pſychrum flumen*, quod Ariſtoteles *L.* III. Hiſt. Anim. 12. ab ovibus potum nigros

fa-

facere factus refert, male utrumque. Praevocabulum contra MSS. auctoritatem inculcatum quis probet? Psychrus fluvius diversi erat ingenii, & cum hoc lacu nihil habuit commune. Codex noster habet: *Et Chrobsi Thracia lacus*, & reliqua: Hoc, si *Thraciae* scripseris, fortasse à vero non multum aberit. Audi Sotionem in Excerptis. Θεόπομπος ἱστορεῖ κρήνην ἐν Χρώψι τῆς Θράκης, ἐξ ἧς τοὺς λουομένους παραχρῆμα μεταλλάσσειν. Nam *Chrobsi* sive *Chropsi Thraciae*, quid differt à Sotionis ἐν Χρώψι τῆς Θράκης? Scio equidem Vitruvium, Latine scribentem, aliter gentile nomen debuisse inflectere, sed quid ille de vocabulo fuerit opinatus, meum non est divinare. Eundem lacum, seu fontem potius, Auctor libri de Mirab. Auscult. Ἐν Κύκλωψι τοῖς Θραξὶ, *apud Cyclopes Thraces:* Antigonus vero Carystius Hist. Mirab. c. 156. Ἐν Κιγχρώψωσιν τοῖς Θραξὶν, scaturivisse tradit, gentis nomine utrobique vitiato. Pronum foret ex Sotione & Vitruvio ἐν Χρώψι τοῖς Θραξὶν scribere, ni prima utriusque vocabuli syllaba obstaret, manu paene nos ducens ad Κύχρωψιν, quod Bentlejo & Harduino placuit. Fieri potuit, ut in Theopompi libris vocis scriptura variarit, aliis Κύχρωψιν, aliis Χρώψιν invenientibus. Haec Vitruvii caussa: nunc Maximo Philosopho medebimur. Monet

net in Carmine ſuo, ne quis luna ſpiciferam puellam illuſtrante virginem domum ducat yſ. 116.

ἐπὶ μογηρῦ βιότοιο
Αὐλήτ' ἠδὲ πόσις κεκορήσεται τήματα πάντα.

Vertitur ſatis mirifice. *Laborioſa enim vita, poſtquam eam acceperit, maritus ſatiabitur, in omnibus damna erunt.* Nata haec ex penultima ſunt voce: ſi Maximo reddideris:

Κεκορήσεται ἤματα πάντα.

ſalva & plana omnia erunt. Pergit Philoſophus.

Ἦν δέ νυ χηλάων ἐνὶ πίρεσιν αὐγάζηται
Κυρελδίην μὲν ἀεικὲς ἐὸν πρὸς δῶμ' ἀγάγεσθαι
Ὠνητὴ δ' ἂν ἔοι πολυφερτέρη.
Quum vero in chelarum lumine ſplendet,
Virginem aetate juvenili conducit domum ducere,
Utilis namque amiciſſima erit.

Neque haec bona ſunt. Videtur Vir Doctus μὴ ἀεικὲς probaſſe. Sed id Maximus noluit. Virginem honeſto loco natam ducere, non aere tuo emptam, vetat. Ὠνητὴν appellat, ut Homerus Odyſſ. Ξ. 202.

'Εμὲ δ' ὠνητὴ τίκε μήτηρ
Παλλακίς.

At hoc leve eſt. Graviora his inflicta ſunt ℣ſ. 161.

ἤδη
Σώζεται ἐκ καμάτοιο φυγὼν ἐρμώδυνον ἄτην.
Ἦν δὲ καὶ εὐκεράοιο βοὸς μετ' ἀνειρομένης
πυ
Ἰνδαλθῇ κερόεσσα, τότ' ἂν μέγα θαρπαλέο-
ςοι
Αὐγῆς ὠπλοίησιν ἐπ' ἀνέρι προσύνυσαι
Ἦτορ.

Prior verſus feminam ex partus doloribus afflictam tangit, poſtulatque, φυγοῦσ' ἐρμώδυνον ἄτην. In ſecundi fine fuit olim μεταινισσομένη πυ. Tertius ob ℣ſ. 586. ita refingendus:

τοί ἂν μάλα θαρπαλέως σοι
Αὐδήσω πιοῦσιν.

Quod ſequitur ℣ſ. 167.

Ἔχειν δωκεῖαν ἀκεσφορίην ἐραπινήν.

& ℣ſ. 184.

Ἦτ' ἂν ὄγ' ὠκοίησιν ὑπ' ἀρπεμίησιν ἔχοιτο.

Utrumque rectius fuiſſet acceptum, ſi, quod Philoſophus dederat, in priore δ' ὠκεῖαν, & poſteriore ὠκείῃσιν recepiſſet. Ex ſimili cauſſa offenſum eſt ℣ſ. 360. Θα-

Θαρσαλέως δρῆστην προτιόσσεο, δὴ γὰρ ἄνει-
σιν
Αὐτόματος σκέψει ἢ καὶ αἱμυλίοσι λόγοισι
Πρηΰνέει θυμὸν δυσπέμφελον οἷο ἄνακτος.

Latina facta sunt.

Fidenter servum adscisce: utilitatem enim
Sponte curabit, & blandis verbis
Leniet gravem iram domini sui.

Quae fuerit Philosophi sententia, non ambiges, modo legeris.

δὴ γὰρ ἄνεισιν
Αὐτόματος, σκέψει ἢ καὶ αἱμυλίοισι λό-
γοισι
Πρηΰνέειν θυμὸν κ. λ.

Indicat, servum fugitivum sponte sua rediturum, daturumque operam, ut blandis verbis iratum heri animum placet. Idem obfuit ψſ. 470.

Καὶ δὴ ἂν ἀεργηλὸν χῶρον τότε καλὰ τέμοιο
Βουσί τε καὶ σμηνύησιν.
Et si tunc terram incultam bene proscideris
Bobus & mulis.

Tu mecum lege σμινύησι, & ligones ac rastra intellige ex Comici Nubib. ψſ. 502.

Ἣν ἡ σμινύη μοι μὴ προδῷ τὰς ἐλπίδας.

 Sed

Sed jam nimius sum, & haec charta non caperet animadvertenda. Finem faciam cum suavissimo Jesu nomine, Graeculi cujusdam ineptias ab eo depulsurus. Edidit Cotelerius Monum. Graecor. tom. III. p. 116. Evagrii capitulum de decem Dei nominibus. Martianaeus eo delectatus adeo est, ut dignissimum censeret, quod Hieronymo suo jungeret. In eo haec insunt. Τὸ ἐπὶ τοῦ κυρίου ταττόμενον ἀνεκφώνητον ὄνομα, διὰ τεσσάρων γράφεται στοιχείων. διὰ τοῦ Ἰὼθ, διὰ τοῦ Ἧπ, διὰ τοῦ Οὐαὶβ, καὶ τοῦ Ἡθτί. τούτων μέσον παρεντιθὲν μετὰ τὰ πρῶτα δύο, παρ' Ἑβραίοις στοιχεῖον καλούμενον Σὲν, ὅ ἐστι ὀδόντες. ὡς εἶναι τὸν εἱρμὸν τῶν πέντε γραμμάτων οὕτως. Ἀρχὴ αὕτη, ὀδόντες ἐν αὐτῇ, ὁ ζῶν. Vertunt. *Quod de Domino ponitur ineffabile nomen per quatuor scribitur elementa, Joth, Hep, Vau, Heth, interposito medio inter haec, seu post duo priora, elemento, quod Hebraei vocant Sen, & significat dentes. Adeo ut quinque literae hanc sententiam edant: Principium hoc, dentes in eo, is qui vivit.* Censuit Martianaeus, Evagrium hic tetragrammaton, quod vocant, nomen יהוה enarrare. Et videntur prima, quae exscripsi, verba huc ducere. Sed si Evagrius id intenderit, ipse, quae commentatus est, ignoravit. Scripta ea omnia sunt, ut Jesu nomen illustraretur. Quid enim ad nomen Jehova literae, quas Σὲν & Ἢθ appellat? Opinatur

qui-

quidem vir Doctus, manifestos erroris esse Graecos, qui quintam octavamque Hebraeorum literam invicem confuderint. Quid alias fecerint, nunc facimus missum: hic erroris immunes sunt. Ea, quae Evagrius praemisit, argumento sunt, ipsum nunquam existimasse, ad ΙΙΠΙ, sive יחוח, literam eam pertinere. Credidit Jesu nomen Hebraeos יחשוח scriptitasse. Id verba omnia monent, & ridicula illa, quae ex literis his conflata est, sententia. Quod vero quintum sermonis Hebraei elementum ῞Ηπ & octavum ῾Ηθπ, sic enim scripsit, non ῾Ηθτὶ, appellet, id neminem morari debuerat. Graecis suis succurrere voluit, ut & vim literae & figuram haberent. Rectius itaque pingetur ῞ΗΠ & ῾ΗΘΠ, quo posteriori ח, priori ה designetur. Non exspectas, ut de originatione vocis, quam Evagrio debes, multa dicam.

Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta.

CAP.

CAP. XXXVIII.

De Frisiae regionibus Ostergoa & Westergoa agitur. Fredegarius Scholasticus explicatur. Quis Frisiae fluvius Burdine? Serarius notatur. Quae palus Aelmere, cujus in actis S. Bonifacii mentio? aliaque.

AEquum est, ut hanc operam in Frisiam nostram, ejusque antiquitates insumamus. Illustris, sed discordantibus doctorum opinionibus paene obscuratus, Fredegarii locus est extremo Chronico de Carolo Martello. *Itemque quod superius praetermisimus in gentem durissimam maritimam Frisonum nimis crudeliter rebellantem, praefatus princeps audacter navali evectione properat, certatim ad mare ingressus navium copia adunata Anistrachiam & Austrachiam insulas Frisonum penetravit, super Burdine fluvium castra ponens: Poponem gentilem ducem, illorum fraudulentum consiliarum, interfecit, exercitum Frisonum prostravit, fana eorum idololatriae contrivit, atque combussit igni.* Factum hoc gestumque circa annum est DCCXXVIIII. paucis à morte regis Radbodi annis, ut ex Ann. Pithoeanis cognitissimum est. Memorantur à Fredegario, & qui haec exscripsit Aimonio, insulae Frisiorum Anistra-

ſtrachia & Auſtrachia, fluviusque Burdine. Quae quive fuerint, controverſum eſt. Jan. Douſa Aniſtrachiam ſive Amiſtrachiam Amelandiam, Friſiae noſtrae adjacentem & praetentam inſulam, eſſe ait. Auſtrachiae vero nec volam hodie nec veſtigium, quod dicitur, apparere pronuntiat, paullo acerbius inde caſtigatus à Ber. Furmerio L. III. Ann. Friſic. c. 7. Abiit hinc Willib. Boſchartius Diſſert. cxvi. de Primis Friſ. Veter. Apoſtolis, ratusque eſt, Amiſtrachiam eſſe tractum circa Amaſim fluvium. Id prima fronte ſatis ſpecioſum videtur, & Fredegarii vocabulo congruens, ſed penitius introſpectum, plane nihili. Fluvius, qui Chronographo Burdine dicitur, medius erat inter duas illas inſulas: Harum altera ſi hodierna ſit Oſtergoa, ut Boſchartius opinatur, regionis ad Amaſim poſitae nulla prorſus hic ratio eſſe poteſt. Ne dicam, nunquam eam Friſiae partem, quam Amaſis alluit, Aniſtrachiam appellari, ſed fere ſemper Emisgam: Altfridus in vita S. Ludgeri L. I. c. 19. *Poſt duos igitur annos & menſes ſex reverſus eſt ad patriam ſuam, & pervenit ejus fama ad aures glorioſi principis Karoli, qui conſtituit eum doctorem in gente Freſonum ab orientali parte fluminis Labeki ſuper pagos quinque, quorum haec ſunt vocabula: Hugmerchi, Hunusga, Fuulga, Emisga, Fedirga,* &

& unam insulam, quae dicitur Bant. Ibi Emisga notat herbidos pascuosque agros, quos Amasis praeterfluit, ut Fivelga, pro quo male Fuulga in editione Leibnitii, campos, qui ab amne Fivela alluuntur. Si ergo neque in hac opinione acquiescendum est, quid Amistrachia faciemus? Vir Amp Menso Alting vitii aliquid vocabulo inolevisse pertendit, scriptumque primitus fuisse Wistrachia, quod ipsum Bern. Furmerius itidem suspicatus est. Fluvium perverse quoque Burdine vocari, cujus Burdipe vel Boerdiep verum nomen sit. Wistrachiam esse Scellingiam, Austrachiam vero Amelandiam, utramque Frisiorum litori objectam insulam. Hanc, quod ad orientem, illam, quod ad occidentem fluvii Burdipe esset posita, sic dictam. Quaeramus pace manium viri praestantissimi, quantum tribui his possit. Et primo quidem non injuria dubites, fuerintne Caroli Martelli aetate duae illae insulae Scellingia & Amelandia? Nemo est aequalium, qui meminerit, nemo quoque anteriorum: nam quod nunc continenti distractae undique fluctibus tundantur, id argumento non est, fuisse olim. Quis enim est, qui ignoret, quantam maritima Belgii Frisiaeque loca mutationem subierint. Ut taceam, ipsum insularum earum ingenium non obscure indicare, fuisse olim continen-
ti.

Frisiae arctissime conjunctas. Providus naturae arbiter Oceano, terras indefesso pulsu oppugnanti, repagulum posuit, opposuitque aggeres arenarios, quos ante plurima secula harum regionum incolae *Dunos* appellitavere. His Batavorum Walacrorumque insulae sunt munitae: Hoc obice Frisia mare excludebat, cum illi adhaererent, quae nunc disparatae mari cinguntur insulae, ipsae cum maxime his aggeribus ab Oceani injuria fere defensae. Sed fuerint Caroli Martelli tempestate illae insulae. Quo tandem teste cognoscemus, Wistrachiae & Austrachiae nominibus fuisse insignes? Nemo unus est, qui haec illis nomina indiderit. Quae deinde necessitas nos subigit, ut ad insulas decurramus, & in illis Wistrachiam & Austrachiam investigemus? Ignotaene Caroli illius tempore Frisiae nostrae partes Westergoa & Ostergoa, uti nunc vocamus, fuere? Nemo dixerit, & si censuerit, manifestis rerum documentis coarguetur. Notarunt Frisiae nostrae antiquarii, vetustissima esse Ostergoae & Westergoae vocabula. In Fredegario Aimonioque ita cognominari, modo pro Anistrachia reponatur Wistrachia: Id ego utroque, quod dici solet, pollice pressero, nihil verius ratus. Nam Austrachiam sive Astrachiam esse Ostergoam apparet ex Altfrido in vita Ludgeri *L.* 1. 5. ubi de S.

 Bo-

Bonifacio, qui *spiritum reddidit in pago, cui nomen Astrache, in loco, qui Doccinga vocatur, sicut & de illo scripta testantur.* Astrache eadem est, quae Fredegarii Astrachia, sive Austrachia, nec nisi pronuntiatione discrepat. Quin vero Astrache sit Ostergoa, nulla dubitandi caussa est, si quidem in Ostergoa, quod de Astrache Altfridus, Doccinga sita sit. Wistrachiam à Westergoa non esse diversam ipsa Astrachia loquitur: illa enim prioris respectu id nomen gerit. Sed ne quid adhaereas, lege hoc ex Chartulario Werthinensi, num. IV. ubi Imma monasterio Werthinae tradidit, *Et in tertia villa* XII. *animalium terram, quae vocatur in Wosterburon in pago Westrachi.* Westrachi hic dicitur, quae Wistrachia Fredegario. Pertinere enim ad Frisiam nostram eam Immae traditionem suspicor ab Wosterburon: Habet Westergoa hoc tempore Sexbierum, Pietersbierum, Osterbierum, cui Westerbierum plane respondet. Sed quia hoc in conjectura est deputandum, certius adferamus. Annal. Petaviani Carolum Martellum an DCCXXXIII. trajecisse tradunt *in Westrigon regionem Frisionum.* Quid hic Westrigou, sic enim scriptum fuit olim, nisi Westergoa nostra? Dices, insulas Wistrachiam & Austrachiam à Fredegario appellari, rectius autem id nomen Amelandiae & Scellingiae contribui, quam We-

Weſtergoae atque Oſtergoae. Ego vero parum hoc moveor, probe gnarus à ſcriptoribus Fredegario & antiquioribus & praeſtantioribus ſaepe peninſulas maritimasque regiones inſulas appellari. Variis id locis viri Doctiſſimi ad Stephanum monuerunt, ut exemplis parcere poſſim. Uno defungi libet: De S. Bonifacio ita Ludgerus: *Auſtroque iter ſecundante delatus in inſulam, quae patrio ſermone Oſtriki dicitur.* Appellat, ut vides, inſulam Oſtriki, in qua ipſo auctore Doccinga fuit. Et haeſitabimus inſulam Fredegarii Aſtrachiam de Oſtergoa, cui Doccinga, ſive ut nunc vocant, Dokkum accenſetur, accipere? Ut vero omnis dubitandi cauſſa praecidatur, pergamus ad Fredegarii flumen Burdine, leni lapſu ad Oſtergoae Weſtergoaeque fines nos ducturum. Id vir Amp. Burdipe appellatum mallet, haud ſcio quam ob cauſſam, niſi ſi ut Burdo fluvius Friſiae auferatur. Equidem in Friſia Burdonem non agnoverim, ſed cur Burdine in Burdipe aut Boerdiep abire debeat, non facile dixerim. Memorant octavi nonique ſeculi ſcriptores Friſiae fluvium, quem Burdine, Bordine, Borthne, imo & Borone, quamquam hoc ex Bordne natum videtur, appellant. Servat horum reliquias amnis Born in ſilveſtri Friſiae parte ortus, nunc ignobilior, ſed olim mediam ſecans regionem, quae Fle-

que ad flumen quoddam, Bortne vocatum, quod est in finibus eorum, qui rustica dicuntur lingua Oster & Westeriche. Sic edidit Serarius, opinatus *L.* III. Rer. Mogunt. Notat. XLVI. Westeriche, esse regnum occidentale, & Osteriche, orientale, fuisseque adeo Frisiam olim in duo regna descriptam divisamque. Sed fefellit hominem perversa vocis scriptio. Westerche, ut ex Annal. Saxonicis monuimus, verum regionis nomen est in scriptoribus vitae S. Bonifacii. Regnum olim Frisiae unum erat, & late satis sub Aldgillo & Radbodo patens, sed primum à Pipino, dein à Carolo Martello maxime accisum. Duplicis in Frisia inter Flevum & Lavicam regni nulla mentio, estque, ut dicetur, nominis veriverbium longe aliud. Sed ad Osterche veniamus. Ita in S. Bonifacii vita scriptum fuisse, colligo ex Chronico MSS. Worperi Taboritae *L.* II. 16., ubi secutus scriptores, quos laudavi, ita refert: *Cumque Deo disponente palma adesset martyrii, pervenerunt ad ripam fluminis, quod Borne dicitur, quod est in confinio eorum, qui rusticana lingua dicuntur Ostergoe & Westergoe.* Apertius ille, & notioribus paullo vocibus, elocutus est, quod veteres antiquiore dialecto pronuntiarant, satis tamen, quod significavimus confirmans. Jam, puto, perspicuum est, notissimas nostrae Frisiae

partes respectu fluvii, in cujus pronuntiatione dissederunt veteres, esse dictas. Cave vero cum Serario opineris, urbem Doccingam, sive Dokkum, amni Bordne fuisse appositam. Turpis is error est, & in scriptore, in aliorum erratis nimis acuto, notandus. Hoc neque veteres neque recentiorum quisquam, cui aliqua rerum Frisiarum notitia est, tradiderunt. Pluribus passuum millibus urbem inde disparatam esse ipsae tabulae loquuntur. Id unum fortasse requires, quae caussa sit differitatis vocabulorum Wistrachia, Westrachi, Westrigou, Westerche, Westergoe, & Astrachia, Astrache, Osterche, Ostergoe? Scire itaque licet, productionem sive terminationem vocabulorum Ostergoe, & Westergoe, diversimode fuisse pronuntiatam: rem tamen eandem notare. Veteri Germanorum sermone *Ga*, & *Gauwe* agri pascui fertilesque erant: variatum in vocis sono est, aliis adspirationem addentibus, negligentibus aliis. Fredegarius terminationem Latinam utrique vocabulo impegit. Osterche & Westerche seculo XI. Ostrogouwe & Westrogouwe appellabantur: In Henrici IV. Imp. apud Wilhel. Hedam p. 140. diplomate *Comitatus Frisiae Ostrogouwe & Westrogouwe* Ecclesiae Ultrajectinae donatur. Sequenti seculo Ostergouwe & Westergouwe, ut ex eodem Heda

da p. 166. ubi Imp. Conradi diploma exscripsit, liquet. Hinc vero Ostergo & Westergo voces contractae sunt. Atque haec hactenus. Nunc provocante occasione quaedam de stagno Elmere sive Aelmere addamus. Mentio ejus est in rebus S. Bonifacii, & diplomate Ottonis Imp. apud Hedam p. 84. *Totam piscationem, quam hucusque in Amuson & in Almere ad nostrum regale jus habere videbamur, omnemque censum, qui vulgariter coggeschult vocatur, hoc nostrae auctoritatis praecepto ad Ecclesiam S. Martini, quae est in loco Trecht vocato, in proprium concessimus jure perenni.* Stagnum hoc Vir Amplissimus suspicatur esse lacum Harlemensem, vel saltem ejus portionem insignem, & ex ea quidem caussa, quoniam in veteri indice bonorum Trajectensium adjungitur flumini Vennepae, quod in Harlemensem lacum influit. Mihi, ut sedulo dicam, non satis validum hoc videtur. Si in eo indice Vennepa in Almere diceretur sese exonerare, non dubitarem conjecturae accedere. At longe secus est: Recenset ille bona juraque Ecclesiae Trajectinae, eaque ordine enumerat: Verba sunt apud Hedam p. 66. *In flumine Vennepa omnis piscatio S. Martini, in Almere regalis decimae census, qui vocatur coggeschult, in Nesse villa cum omni piscatione. Decima etiam in Almere de sagenis S. Martini est.* E quibus ego

qui-

quidem non video, quo jure colligas Vennepam in Almere influxisse? Hoc ergo relicto, certius, si fieri potest, quaeramus. Puto Otholonum Willibaldumque vitae S. Bonifacii scriptores lacum nobis esse ostensuros. Hic de Episcopo Moguntino, in Frisios pergente, *Sed sumptis secum*, inquit, *conviatoribus navem adscendit, ac per Rheni fluminis alveum penetrans, nocturna portuum navigio exquisivit loca, donec aquosa Fresonum arva ingrediens, trans stagnum, quod lingua eorum dicitur Aelmere, sospes pervenit.* His Otholonus *L.* II. c. 25. consentit. Frisia, in qua Bonifacius periit, ponitur hic ultra stagnum Aelmere. Unde haud injuria cogimus, non esse Harlemensem lacum, qui longius a nostra Frisia disjunctus est: neque etiam Alcmariae urbi vicinos lacus: Hadr. Junius in Batavia sua cap. 17. in vetustis Praesulum Trajectinorum tabulis Alcmariam monet Almeriam appellari, ea credo respiciens, quae ex Heda supra exscripsimus. Inibi vero non urbs, sed lacus, in quo Trajectinis Episcopis piscandi jus erat, memoratur. Praetereo nunc, Trajecto Bonifacium in Frisiam perrexisse, neque adeo opus illi fuisse, ut Alcmariam adiret. Breviore itinere, quo tendebat, pervenire poterat. Nunc denuo Willibaldum audiamus. *Corpus vero B. Pontificis prosperis velis ventorumque flatibus trans fretum,*

quod

quod dicitur Aelmere, sed & aliorum Martyrum, post dies non multos perductum est ad supra dictam urbem, quae dicitur Trecht. Hic ex Frisia Trajectum properantibus fretum Aelmere tramissum dicitur. Annales Saxonici ab Ekhardo vulgati an. DCCLIII. flumen Elmera appellant, *Corpora Martyrum trans flumen, quod dicitur Elmera, deducta sunt ad urbem, quae dicitur Trecht,* ceteroqui egregie Willibaldo conspirantes. Quid vero aliud ex his concludas, quam profecturis ex Trajectina urbe in Frisiam, & ex Frisia Trajectum necessario lacum Almere fuisse transfretandum? Adeoque Almere sive Aelmere fuisse aestuarium, quod inter Ultrajectinam dioecesin & Frisiam interpositum erat. Hoc si admiseris, sequetur, stagnum Aelmere fuisse partem non postremam maris, quod vulgo Austrinum vocant: vidit & hoc Joan. Mabillonius ad Willibaldum, comprobaturque ipso itinere, quo corpus Bonifacii portantes Ultrajectum rediere. E Frisiae flumine Bordne in lacum Almere per Flevum delati sunt, eumque emensi in urbem devenerunt. Flevi in hac historia Joan. Beka commeminit, haud scio an vetustos scriptores secutus, an conjectura ductus. Utcunque statueris, res ipsa requirit.

CAP. XXXIX.

Inquiritur in fidem actorum diurnorum, quorum fragmenta Pighius & Dodwellus publicarunt. Fasces alternis mensibus penes consules erant. Cimbri quando Romanis innotuerint, & à quo scutum Cimbricum sit fixum Romae? Cicero contra Pighium defenditur. Vexillum comitiorum caussa in arce positum est, non delectus. Scripti milites in Capitolio sunt. Curia Pompeji post Mithridaticum exstructa est bellum. Inimicitiae inter Milonem & Clodium, quando susceptae? Caesarem non videri ante an. DCXCII. *in Lusitaniam abiisse ex praetura. Nulli fuerunt Censores anno* DCXCI. *aliaque.*

PRius ego fragmenta actorum diurnorum examinabo, quam Probabilibus his finem faciam. Eorum priorem partem ex schedis Lud. Vivis a Jac. Susio transcriptam V. Pighius Fastis an. DLXXXV. inseruit. Posterionem vero una cum Pighiana ex Vossiano libro Hen. Dodwellus in Appendice Praelectionum Cambdenianarum cum publico communicavit. Inquiram tutone in eorum fide acquiescere possimus? Non dicam, acta diurna recentioris videri aetatis ob haec Suetonii in Caes. 20. *Inito honore, PRIMVS omnium instituit, ut tam senatus quam populi diurna acta conficerentur.*

tur, *& publicarentur*. Neque quaeram, unde Ludov. Vives, unde Petavius haec fragmenta acceperint? ex quo veteri libro, quove lapide? Eruditiſſimus Dodwellus ex marmore excerpta eſſe non dubitat. Sit ita. Facile ergo ducentorum annorum ſpatio omne

Capitoli immobile ſaxum

his actis impleri potuit. Qui vero factum dicemus, ut nemo alius lapides eos oculis uſurpaverit, &, ubi terrarum fuerint, memoraverit? Haec praetereo, ad ipſa acta properans. Principium eſt.

V. K. APRILES.
FASCES. PENES. AIMILIUM.
BENE. MANE. SACRIFICAVIT. AD. APOLLINIS.
OVE. FECIT. LAUREATUS.

Dantur conſulibus, uti vides, alternis diebus faſces, penes quos omnis antiquitas alternis fuiſſe menſibus docet. Audiamus veterum teſtimonia. Dionyſius *L*. v. Ant. Roman. p. 278. Γίνεσθαι δὲ τῶν πελέκεων τὴν παράληψιν ἐκ περιτροπῆς, ἕνα μῆνα κατέχοντος αὐτοὺς παραλλὰξ ἑκατέρου. *Collegaeque ſingulis menſibus ſecures ſibi viciſſim tradant*. A. Gellius *L*. II. N. A. 15. *Solitos tamen audio, qui lege potiores eſſent, faſces primi menſis collegis concedere, aut longe aetate prioribus, aut nobilioribus multo, aut ſecundum con-*

consulatum ineuntibus. Suetonius Caes. c. 20. *Antiquum etiam retulit morem, ut quo mense fasces non haberet consul, accensus ante eum iret, lictores pone sequerentur*. Vidit haec Th. Reinesius, actisque, opposita Suetonii auctoritate, fidem detraxit Clas. IV. Inscrip. 2. Contra ea Henr. Dodwellus venit, opinatus, jam olim consules alternis diebus fasces invicem mutasse, sed argumentis, ut ego putem, non bene firmis. Memorat Livius *L*. XXII. c. 41, 45. Coss. Paullum Aemilium & Terentium Varronem alternis imperitasse. Polybius, quem auctorem Livius habere solet, *L*. III. c. 110. paria tradit. Sed uterque de castris & imperio, quod in legiones inhibebant consules, agit, nihil illic de more, qui in urbe obtinebat. Quod vero alteri actorum fragmento testimonium denuntiat, id caussae non patrocinabitur. Dubiae enim fidei esse ostendam. Fac nunc verissimum esse, alternis diebus fasces consulibus fuisse praelatos, convenientne haec Romanorum moribus? Major consul erat Aemilius. Id tabulae Capitolinae, id Livius, id secundus hic ejus consulatus indicant. Major consul fasces prior habebat. Consulatum hoc tempore inibant Idib Martiis, quibus ex veteri consuetudine fasces penes Aemilium fuerunt. Ergo, si alternis diebus habuerunt, a. d. V. Kal. Apriles fasces Licinio praelati sunt, non

Aemi-

Aemilio. Scio morbo & abſentia haec turbari potuiſſe. Sed alterum uterum in quatuordecim hiſce diebus eveniſſe, ne minima quidem ſuſpicio ex Livio aut aliunde eſt Poſſem nunc varianti ſcripturae LAVREATVS & LAVRENTIAE, quae in Voſſiano fuit codice, immorari, &, in qua incude extuſa ſit, inquirere, ſi levia ſectari vellem. Sequentia conſideremus.

HORA. OCTAVA. SENATVS. COACTVS. IN. HOSTILIA.
S. C. FACTVM. EST. VTI. PRAETORES. EX. SVIS.
PERPETVIS. EDICTIS. JVS. DICERENT.

Ecce tibi Senatusconſultum egregium, ſed, quod jure doleas, nulli veterum notum. Tacet Livius, ceteroqui in Senati decretis recenſendis accuratiſſimus. Silent alii quoque. Aſconius rogationem Corneliam, ut PRAETORES EX EDICTIS SVIS PERPETVIS IVS DICERENT, in Argumento Orat. Cornelianae recenſens, *multis invitis* latam ait. Cur Cornelio ſuccenſebant optimates, ſi multis ante annis Senatusconſulto id fuerat cautum? Dices alia eſſe, quae unius teſtimonio nitantur. Neque ego diffiteor. Sed ſi ſint, quae teſtis rejectionem ſuadeant, ego de illa re am-

pliandum esse existimaverim. Sequitur a. d. IV. Kal. April.

CAVPO. AD.VRSVM. GALEATVM. GRAVITER. SAVCIATVS.

Credo *ursum* illum *Galeatum* prostitisse in regione Esquilina, ubi Sex. Rufus *Vicum Ursi Pileati* habet: Nam is verus ejus titulus fuit. Anastasius Bibliothecarius in Innocentio. *Qui etiam sepultus est ad Ursum Pileatum* v. *Kal. Aug.* Usuardus in Martyrologio a. d. v. Non. Octob. *Romae ad Ursum Pileatum sancti Candidi Martyris.* Pergit actorum scriba.

DE. PECVNIA. MVLCATITIA. CELLA. EXSTRVCTA. AD. TELLVRIS. LAVERNAE.

Ecquis unquam audivit Tellurem Lavernam? Nota satis Laverna est, non Tellus Laverna: Si *cellam Lavernae* exstructam ad Telluris acta dicerent, putes Aedilem Titinium Lavernam placare ex nota sibi caussa voluisse, aut etiam, ut miles in bellum Persicum abiturus conceptis verbis rogaret:

Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da justo sanctoque videri:
Noctem peccatis & fraudibus objice nubem.

Sed valeat Laverna Tellus, hoc vide:

Q.

Q. AVFIDIVS. MENSARIVS. TABERNAE. ARGENTARIAE.
AD. SCVTVM. CIMBRICVM. CVM. MAGNA.
VI. AERIS. ALIENI. CESSIT. FORO.
RETRACTVS. EX. ITINERE. CAVSSAM. DIXIT.
APVD. P. FONTEVM. BALBVM. PRAET.

Ad SCVTVM CIMBRICVM ait. Unde tam matura Cimbrorum in urbe mentio? unde formam scuti Cimbrici edocti sunt, ut publice figere possent? Cimbrorum, cum post quinquaginta annos in Galliam irrumperent, adeo nullam habebant notitiam, ut, observante & acta haec damnante elegantissimo Walt. Moyle Epist. 4. de Philopatridis Dialogi vera aetate ex Plutarchi Mario, qui genus, unde domo essent penitus ignorarent. Accipe Taciti verba de Mor. Germ. c. 37. *Sexcentesimum & quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma Caecilio Metello ac Papirio Carbone Coss.* Ad hoc, scutum Cimbricum à Mario demum in urbe fixum est. Ut verum me dixisse animadvertas, recognosce C. Julii jocum apud Ciceronem *L.* II. Orat. c. 66. quo Helmio Manciae, *Jam ostendam cujusmodi sis.* cum ille, *Ostende quaeso*, demon-

monſtravitque *digito pictum Gallum in Mariano ſcuto Cimbrico, ſub Novis, diſtortum, ejecta lingua, buccis fluentibus.* Quam tandem ob rem *Marianum* appellat, niſi quod domitori Cimbrorum Mario debeatur. Non ignoro Pighium an. CCCXCII. *Manliano* reſcripſiſſe, ſcuto ad Manlium Torquatum relato, cui Gallus fuerit inſcriptus, quem vita & torque Manlius exuit. Sed cohibere virum Doctiſſimum ab ea opinione & Oratore emendando praeter Cimbros, ea tempeſtate ne fando quidem cognitos, Quinctilianus debuerat, Ciceroni & C. Julio conſentiens. Pauca ex *L.* VI. Inſtit. Orat. c. 3. excerpam, ut appareat idem ſcutum actuarii noſtri animo fuiſſe obverſatum. *'Digito demonſtravit imaginem Galli in ſcuto Mariano Cimbrico pictam, cui Mancia tum ſimillimus eſt viſus. Tabernae autem erant circa forum, & ſcutum illud ſigni gratia poſitum.* Habes tabernas, de quibus acta. Nunc ad haec animum advorte.

CAVSSAM. DIXIT.
APVD. P. FONTEIVM. PRAET.

Atqui Fontejo nulla jurisdictio obtigit. Evenit illi Hiſpania. Livius *L.* XLIV. 17. Et ne putes Romae haeſiſſe, habe haec ejuſdem *L.* XLV. 12. *Praetores praeter C. Papirium Carbonem, cui Sardinia evenerat, in provincias* *ire.*

itre. Eum jus dicere Romae, nam eam quoque sortem habebat, inter cives & peregrinos Patres censuerunt. Si Fontejo extra ordinem jurisdictionem mandatam velis cum Pighio, cur hoc Livius praeteriit, qui tam studiose de C. Carbone notat? Pergamus.

DEMIPHON. ARCHIPIRATA. CAPTVS. A.
CN. LICINIO NERVA. LEGATO.
IN. CRVCEM. ACTVS.

Quis ille Cn. Licinius Nerva? Hujus temporis historia A. Licinium Nervam & C. Licinium Nervam novit. Prior, ut Livius docet *L.* XLIV. 18. missus cum collegis est ad Macedoniam inspiciendam, non ut rem gereret, nec revertit, nisi post hanc diem, Quinquatribus ultimis. Nihil ergo ad hunc Demiphon pirata. Posterior L. Anicii in Illyrico fuit legatus. Idem *L.* XLV. 3. verum hoc tempore nondum in provinciam profectus. Non itaque ab eo in crucem actus est. Tertium unde eruemus? Multa vir Doctissimus movet, & nunc hoc, nunc illud esse potuisse monet, quo res non expeditur.

VEXILLVM. RVBEVM. IN. ARCE POSITVM
COS. SACRAMENTO. NOVO. ADEGERVNT. IVVENTVTEM.
IN. CAMPO. MARTIO.

Rem novam & invisitatam! vexillum in arce po-

positum, ut sacramento milites dicerent? Hoc Polybius, Varro, Livius, ceterique nunquam viderunt. Doceat Livius, quando proponi solitum fuerit *L.* XXXIX. 15. *Majores vestri, ne vos quidem, nisi quum aut vexillo in arce posito comitiorum caussa exercitus eductus esset.* Doceat Dio *L.* XXXVII. p 47. Τοῦτο δὲ τὸ κατὰ τὸ σημεῖον, τοιόνδε τί ἐστι. Πολλῶν τὸ ἀρχαῖον πολεμίων τῇ πόλει προσοικούντων, φοβούμενοι μὴ ποτε ἐκκλησιαζόντων σφῶν κατὰ τὰς λόχους, ἐπιθῶνταί τινες τῇ πόλει, τὸ Ἰανίκουλον καταλαβόντες, ἐνόμισαν μὴ πάντας ἅμα ψηφίσασθαι ἀλλά τινας ἀεὶ ἐνόπλους τὸ χωρίον ἐκεῖνο ἐκ διαδοχῆς φυλάττειν. Καὶ αὐτὸ ἕως μὲν ἡ ἐκκλησία ἦν ἐφρούρουν. Ὁπότε δὲ διαλυθήσεσθαι ἔμελλε τό τε σημεῖον καθῃρεῖτο. *Quod de vexillo dixi, ita habet. Quum olim multi hostes urbi vicini essent, veriti Rom . ne, dum ipsi comitia centuriata haberent, hostes nec opinato urbem invaderent, Janiculo occupato, constituere non omnes simul suffragia ferre, sed aliquos armatos, sibi per vices succedentes, locum custodire. Janiculum itaque, quoad comitia essent, custodiis tenebant. Ubi vero concio dimittenda erat, signum auferebatur.* Doceat Macrobius *L.* 1. Saturnal c. 16. *Praeliales dies ab justis non segregaverim: siquidem justi sunt continui triginta dies, quibus exercitu imperato vexillum rufi coloris in arce positum est.* Nosti, credo, quinam hi triginta dies sint. Sed, si adhaerescas, auctor

sum

ſum Praeſtantiſſimi Gronovii *L.*1 Obſerv. c. 1. relegas, remque univerſam inde petas. Scio Criticos, qui ſub Servii nomine latent, ad Aeneid. VIII ℣l. 1 ſcripſiſſe. *Qui fuerat ducturus exercitum, ibat in Capitolium & exinde proferens duo vexilla, unum roſeum, quo pedites evocabat: & unum caeruleum, quod erat equitum, nam caeruleus color maris eſt, à cujus Deo equum conſtat inventum, dicebat: Qui rem publicam ſalvam vult, me ſequatur.* & poſt pauca: *Alii album & roſeum vexilla tradunt, & roſeum bellorum, album comitiorum ſignum fuiſſe.* Sed ea, ſi vera ſint, nihil proderunt VEXILLO actorum. Agunt inibi de tumultu Gallico, deque conjuratione, non delectu: duplex praeterea vexillum memorant. Ego vero vehementer vereor, ut vera ſint. Ipſi enarratores incerti haerent: modo roſeum & caeruleum, modo album & roſeum vexillum in Capitolio ponunt, & album quidem comitiorum index, quod Dio, Feſtus, Macrobius ruſſeum fuiſſe docuerunt. Videntur aliquid de exercitu imperato inaudiviſſe: Sic notant ad eum verſum. *Quoniam vexillum in arce poni ſolebat, quod eſſet ſpecimen imperati exercitus* Satis id recte. Sed *exercitum imperare* non eſſe, tirones ſcribere, nedum belli ſignum proponere, omnes noverunt. Neque aliud opiner de verbis Arnobii *L.* II. p. 114. *Cum paratis bella, ſignum mon-*

stratis ex arce, nisi tu forte velis Virgilianum in animo habuisse:

> *Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce*
> *Extulit.*

Comitiorum enim ritus ibidem describit: *Num quid magistratus per populum creatis? militaria, urbana, communia quae sint comitia scitis? servatis de coelo, aut otiosas facitis obnuntiationibus actiones? cum paratis bella*, & reliqua. Haec sumpta esse à comitiis, cur dubitemus? Non negaverim, signa, cum delectus haberetur, ex templis fuisse prolata, militemque sacramento adactum. Verum nihil haec ad vexillum. Additur, COS. SACRAMENTO. NOVO. ADEGERVNT. IVVENTVTEM. Si quid Livio accredis, non auscultabis actuario. *Delectus cura*, inquit, *C. Licinio consuli imposita. Is septem millia civium Romanorum & equites ducentos scribere jussus.* Audi & Aemilium. *Quae ad bellum opus sunt*, ait c. 22., *& senatus decrevit, &, quoniam extemplo proficisci placet, neque ego in mora sum, C. Licinius collega, vir egregius, aeque enixe parabit, ac si ipse id bellum gesturus esset.* Porro, IN CAMPO MARTIO. Ego Polybium *L.* VI. 17. & Livium *L.* XXVI. 21. secutus in Capitolio milites ad nomen respondisse putaveram. Scio apud Dionysium

L.

L. VIII. p. 554. Coss. Fabium Caesonem & L. Valerium ἐν τῷ παρακειμένῳ πεδίῳ, in campo Martio, urbi adjacenti, delectum habuisse. Sed gravis eos caussa urgebat: Delectu opus erat: cumque tribuni plebis intercederent, juventuti extra urbem locum condixerunt, ubi nulla tribunorum potestas. Caussam hanc rei extraordinariae praetendit Dionysius. Interpellasse vero consulis Licinii delectum tribunos, nec acta, neque Livius docet. Nunc quaeso diem considera, cui Demiphontis supplicium delectumque militum acta tribuunt.

PRID. K. APRILEIS.
FASCES. PENES. LICINIVM.
LATINAE. CELEBRATAE. ET. SACRIFICATVM.
IN. MONTE. ALBANO. ET. DATA. VISCERATIO.

Latinis eam diem fuisse constitutam ex Livio novimus. Hoc vero maximopere velim discere, possintne receptis Romanorum moribus affinia esse, poena piratae delectusque in eas ferias relata? Docuit me Macrobius *L.* I. Satur. c. 15. *Feriis vim cuiquam fieri piaculare esse. Ideo tunc vitari nuptias, in quibus vis fieri virginibus videtur.* Accepi ex Livio, Dionysio, ceterisque rerum R. scriptoribus, Latinis consules ab urbe afuisse, in Albano mon-

monte Latiar confecisse, ne vero absentibus illis quid turbaretur, Praefectum urbi Latinarum caussa fuisse relictum, de quo A. Gellius *L.* XIV. N. A. c 8. Traditum praeterea memoriae est, unum diem Latinis dicasse Tarquinium. Exactis regibus primos consules alterum addidisse. Tertium accessisse post plebis secessionem in montem Sacrum. Tandem quartum adjectum esse, finito certamine de consulatu cum plebe communicando Haec Dionysius *L.* VI. p. 415. & Livius *L.* VI. cap. ult. Denique observatum studiose fuisse memini, ne, nisi solenni Latinarum perfecto, in provincias paludati irent. Fuerunt, qui negligerent. Sed, si Dionem *L.* XLVI. p. 356. audis, maximo suo malo. *Οὐ γάρ ἐστιν ὅπως τούτου γινομένου καλῶς ἀπήλλαξαι.* Non ea fuit Aemilio sententia. Latiari Jovi solenni sacro in monte facto in Macedoniam abiit. Livius *L.* XLIV. 22. His omnibus, nisi me animus fallit, tacite acta obloquuntur. Tu, si placet, perpende: ego ad alia accingor.

KAL. APRIL.
L. AIMILIO. PAVLLO. II.
C. LICINIO. CRASSO. COS.
PAVLLVS. COS. ET. CN. OCTAVIVS.
PRAET. PALVDATI.
EGRESSI. SVNT. VRBE. IN PROVINCIAM.

MA-

MACEDONIAM.
PROFECTI. INGENTI. ATQVE. INVSITATA.
FREQVENTIA. PROSEQVENTE.

Cui tandem bono repetita consulis utriusque nomina? Satin' erat, si anno dedissent nomen? Cur consulum nomina Vossianae schedae praetereunt? Cum ceteris compone Livii verba, & cogita, sintne ad ea conformata. *Ab hac concione, Latinis, quae pridie Kalendas Aprilis fuerunt, in monte sacrificio rite perpetrato, protinus inde & consul & praetor Cn. Octavius in Macedoniam profecti sunt. Traditum est memoriae, majore quam solita frequentia prosequentium consulem celebratum.* Sequitur in actis.

PONTIFEX. SEMPRONIVS. EDIXIT. MEGALESIA.

Itane vero Pontifex Sempronius? Atqui Pontifex M Sempronius Tuditanus ante hos sex annos fuerat mortuus, cooptato in ejus locum C Sulpicio Galba. Livius *L.* XLI. 21. Florebat hoc quidem tempore rerum gestarum gloria Ti. Sempronius Gracchus, sed ille anno DXC. augur tantum erat, ut cognoscere licet ex elegantissima Ciceronis ad Q. Fratrem Epist. II. c. 2. An subolfecisse haec dicemus Vossiani codicis scriptorem, qui Pontifi-

tificem Sempronium & Megalesia actis inserere noluit?

III. NON. APRIL.
C. POPILIVS. LAENAS. C. DECIMIVS.
C. HOSTILIVS.
LEGATI. MITTVNTVR. AD. REGES.
SYRIAE.
ET. AEGYPTI. AD. BELLVM. INTER. IPSOS.
COMPONENDVM.

Haec, si verum dicit Livius, falsissima erunt. Auctor est *L.* XLIV. 19. Idib. Martiis Aemilium consulem iniisse, quumque in exspectatione Patres fuissent, maxime quidnam consul de Macedonia, cujus ea provincia esset, referret: nihil se habere Paullum, quod referret, quum nondum legati redissent, dixisse. Sacrificio vero rite perfecto, primos Alexandrinos legatos ab Ptolemaeo & Cleopatra regibus vocatos esse. Motos Patres precibus Alexandrinorum, extemplo C. Popillium Laenatem, & C. Decimium, & C. Hostilium legatos ad finiendum inter reges bellum misisse, hosque intra triduum esse profectos. Si sacrificium intelligas, quo consulatum auspicabantur, ut Livii verba suadent, quo tandem modo defendi haec acta poterunt? Sed simus faciles: sit perfectum Liberalibus aut primis Quinquatribus, vel sic tamen falsa haec

haec erunt, si legati intra triduum profecti sint. Si pridie Kal. April. consulem sacrificio operatum fuisse velis, tumque legatos ab rege Ptolemaeo vocatos esse, vetabit Livius c. 20. *Hisque intra triduum simul cum legatis Alexandrinis profectis, legati ex Macedonia Quinquatribus ultimis adeo exspectati venerunt, uti, nisi vesper esset, extemplo senatum vocaturi consules fuerint.* Profectos enim ait ante legatorum ex Macedonia reditum, qui Quinquatribus ultimis incidit, sive a. d. x. Kal. Aprilis. Quare aut fraudis manifesta haec acta sunt, aut erroris Livius. Tu nunc in consilium ito, & sententiam fer. Ego ad alteram actorum partem Anni DCXCI. transibo interea.

D. IV. SYLLANO. L. MVRE. COSS.
A. D. III. IDVS. SEXTIL.
FASCES. PENES. MVRENAM.
IS. BENE. MANE. SACRVM. FECIT. AD. CASTORIS.
DIIS. PENATIB. PVB. INDE. COEGIT. IN. CVRIA. POMPEAE.

Unde factum putabimus, ut SYLLANVS in actis appelletur, qui SILANVS erat? SILANVS in denariis apud Ursinum & alios dicitur, nec aliter inscriptiones gentis hoc Juniae cognomen edunt, si unam excipias Gruterianam p. MXLI. quae M. IVNIVM

 SVL-

SVLLANVM memorat. Paene putem lapidis exſcriptorem vitiata veterum quorundam librorum ſcriptura deceptum eſſe, idemque actuario fraudi fuiſſe. COEGIT, inquit, IN. CVRIA. POMPEAE. Quid tandem? Senatum: cur exulat ea vox ex actis? Si in marmore deletam velis, cur in Apographo Voſſiano nec vocabuli ſpatium, nec literarum aliqua veſtigia ſunt obſervata, fatente Doctiſſimo Dodwello? Sed fieri poteſt, ut dormitarit librarius. Credemusne IN CVRIA POMPEIA ſenatum à Silano eſſe coactum? Curia haec Magnum Pompejum habet auctorem, conditaque eſt, ut ornamento eſſet theatro ſuo. Plutarchus in Caeſare haud longe à fine. Ὁ δὲ δεξάμενος τὸν φόνον ἐκεῖνον καὶ τὸν ἀγῶνα χῶρος, εἰς ὃν ἡ σύγκλητος ἠθροίσθη, τότε Πομπηΐου μὲν εἰκόνα κειμένην ἔχων, Πομπηΐου μὲν ἀνάθημα γεγονὼς τῶν προκεκοσμημένων τῷ θεάτρῳ. *Locus, in quo caedes ea patrata certamenque pugnatum eſt, & in quem ſenatus erat coactus, à Pompejo erat dedicatus, ut ornamento eſſet theatro, habebatque ejus imaginem, tunc jacentem.* Deſcribere Plutarchum Pompeji curiam, nemo negabit, qui in ea Caeſarem ab amicis ſuis confectum noverit. Theatrum Pompejus condidit ex Mithridateo bello reverſus, expreſſum è Mitylenaeo, eodem in Pompeji vita auctore. Rediit Pompejus initio ſequentis

tis anni, ut ex Ciceronis Ep. 12. & 13. *L.* 1. ad Atticum colligas. Quare theatro exstruendo sequenti demum anno manus admovere potuit, quamquam serius fecisse puto. Dedicatum est altero Pompeji & Crassi consulatu Anno V. C. DCXCVIII, testificante Dione *L.* XXXIX. p. 120. Si vero curia theatro ornatus caussa est addita, potuitne D. Junius Silanus An. DCXCI. in eam senatum cogere? Denuo acta.

SYLLANVS. CVM ACCENSIS. CAVSSAM. DIXIT.
APVD. Q. CORNIFICIVM. PRO. SEX. RVSCIO. EX.
MVNICIPIO. LARINATI. ACCVSATO. DE. VI. PRIVATA.

Quid est *caussam dixit cum accensis*? Si stipatus accensis, cur lictores praeteriti? credo extra ordinem plures accensos consuli apparuisse, ut in orando majorem speciem prae se ferret. Suetonius in Caes. c. 20. unum singulis dedit, nec plures Cicero *L.* 11. de Leg. c. 24. Quis *Sex. Ruscius*? novi illud ex Miloniana c. 22. *Heus tu Ruscio, cave sis mentiaris.* Qui factum porro est, ut nusquam hujus judicii sit mentio? Paucis post diebus Cicero Sullam defendit. Est egregius artifex in inveniundis & peritissime digerendis, quae

reorum caussae quomodocunque favere possint. Et putabimus in peroratione noluisse hac Sex. Rulcii absolutione commovere judices, quo Sulla Torquato eriperetur? Demus neglexisse, quid de Q. CORNIFICIO praetore fiet? Praetorium insequenti anno fuisse ex quadam ad Atticum Epistola collegit H. Dodwellus. Non detraham hunc illi honorem, quamquam hoc anno praetura functum fuisse non puto Fuit ante hos duos annos Ciceronis competitor in consulatus petitione. An censebimus praetura neglecta, *egregia & ad consulatum apta provincia*, ut Cicero appellat, summum honorem adspirasse? In primis cum homo novus & parum gratiosus esset, nec ullas majorum posset ostentare imagines. Solebant hujus ordinis candidati, *multis annis post petere, quam praetores fuissent, aliquanto serius, quam per aetatem & per leges liceret*, eodem Tullio in Agraria II. c. 2. auctore. Taceo, non obscure Asconium in Argum Orat. in Toga Candida significare, Q. Cornificium ante consulatus petitionem praeturam administrasse. *Duos*, inquit, *qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium & C. Licinium Sacerdotem.* Praetorem ante plures annos Licinium Sacerdotem fuisse ex Verrinis notissimum est. Cur ergo de Cornificio dubitemus? Ad hoc, jam

an-

ante Sullae dictaturam insolens erat, omissa praetura consulatus candidatum fieri. C. Julius Caesar aedilitius, cum id ageret, ut praetura posthabita consul fieret, in maximas turbas incurrit. Cicero in Bruto c. 63 illam C. Julii petitionem *extraordinariam*, & Orat. de Harusp. Resp. c. 20. *contra leges* fuisse docet. Dictator Sulla id ipsum nova lege vetuit: Argumentum legis, prodente Appiano *L.* 1. Bel. Civil. p. 687., fuit: *Καὶ στρατηγεῖν ἀπεῖπε πρὶν ταμιεῦσαι, καὶ ὑπατεύειν, πρὶν στρατηγῆσαι. Edixitque, ne quis praeturam ante quaesturam gereret, neve consulatum ante praeturam.* Neque putes velim, legi Corneliae deinceps fuisse obrogatum: vim suam post hunc annum retinuit, ut ex Philippica XI. 5. cognoscere est. Nunc ad haec attende.

TVMVLTVS. IN. SACRA. VIA. INTER OPERAS. CLODII. PVLCHRI. ET. SERVOS. T. ANNII.

Tam cito inter *operas Clodianas* & *Milonis servos* rixae? Inimicitiis Clodium inter & Milonem occasionem Cicero dedit, qui hoc tempore cum Clodio amicitiam exercebat. Sequenti demum anno ira Clodii in Tullium accensa est ob professum contra se in notissimo crimine indicium. Certa haec & explorata

 sunt

sunt ex ipso Cicerone & Plutarcho, probavitque Hen. Dodwellus. Multa quidem, ut hinc se extricet, movet & comminiscitur, quae, si neges, nullo modo constabiliri poterunt.

AD. V. KAL. SEPTEMB.
M. TVLLIVS. CAVSSAM. DIXIT. PRO. COR. SVLLA.

Mirari subit in tam negotiosa & turbulenta civitate ab ante diem III. Idus Sextil. ad a. d. v. Kal. Septemb. nihil contigisse actis nostris dignum: nullum illustre funus, nullam nativitatem, actionem nullam. Sed forte praeter solitum frigebant omnia: Quid his faciemus?

QVINQVE. SENTENTIIS. OBTINVIT. TRIB. AERARII. CONDEMNARVNT.

Quorum intelligemus sententias? Senatorumne an equitum? Si quinque ex utroque ordine Sullam absolverunt, quid ceterorum factum est sententiis? ampliaruntne? putabimusne omnes absolvisse, atque adeo decem tantum in Sullam judices sedisse? Cras credo, hodie nihil. Diligentius rem sua egit actuarius, ex quo Asconius exitum judicii, quo caussam Milo dixit, nobis servavit. *Senatores comdemna-*

narunt XII. *absolverunt* V. *Equites condemnarunt* XIII. *absolverunt* IIII. *Tribuni aerarii condemnarunt* XIII. *absolverunt* III. Accurate quoque pro more suo Cicero *L.* II. ad Q. F. Ep. 6. *Ea ipsa in re Pompeji offensio nobis obstitit: Senatorum enim urna copiose absolvit, equitum adaequavit, tribuni aerarii condemnarunt.* Scio virum Doctissimum invisum illud QVINQVE mutasse in II., ut senatorum & equitum sententiis obtinuerit Sulla. Sed quis id jure fieri praestabit? Vide reliqua.

TRIB. PL. INTERCESSERVNT. SC. DE. TRIBVTIS. LAODICIAE. VT. DARENT. PRAEDES.

Notae sunt Syriae urbes Laodicea ad mare, Laodicea ad Libanum. Nota in Lycia est Laodicea ad Lycum. Quam intelligit? H. Dodwellus secundum Syriae Laodiceam pronuntiat. At Pompejus nondum redierat, neque relatum erat de actis ejus transmarinis. Et cavent tamen Patres de tributis Laodiceae? Sequitur:

C. CAESAR. IN. HISPANIAM. VLTERIOREM. EX. PRAETVRA. PROFICISCITVR. DIV. PRIVS. RETARDATVS. A. CREDITORIBVS.

En

est post Idus Februarii Lusitaniam Caesari fuisse decretam. Ad hoc, fine anni DCXCI. Caesar Romae erat. Tacite hoc aliud agens agnovit Dodwellus, de Clodio, se in aedes Caesaris in notissima fabula penetrante, haec scribens: *Anni certe hujus* 692, Varroniani, qui Capitolino DCXCI. respondet, *fine contigerit oportet factum illud Clodii*. Recte. Id ex Epist. Ciceronis ad Atticum *L*. I. 12. & 13. certissimum est. Certissimum praeterea eo tempore Romae Caesarem fuisse. Imo cum Clodius accusaretur anni DCXCII. initio, nondum Caesar in provinciam abierat. Rogatus enim, ut pro testimonio in Clodium diceret, recusavit. Plutarchus in ejus vita. Ὁ δὲ Καῖσαρ ἀπεπέμψατο μὲν εὐθὺς τὴν Πομπηΐαν, μάρτυς δὲ πρὸς τὴν δίκην κληθεὶς, οὐδὲν ἔφη τῶν λεγομένων κατὰ τοῦ Κλωδίου γιγνώσκειν. Junge his Dionem, ut accusationis, Clodio intentatae, tempus habeas *L*. XXXVII. p. 56., aut, si Ciceronem audire malis, compone inter se Epist. 13. & 14. *L*. I. ad Atticum. Sed longum facio.

C. ACTIVS. COPPONIVM. VENEFICII. POSTVLAVIT.
DIVINATIO. ACTIVM. INTER. ET. SEPASIVM. MINOREM. DE. ACCVSANDO. ACTIVS. OBTINVIT.

Bonum factum! Jam tandem disco Copponium esse appellandum, quem ego, vocis

veriverbio monente, Coponium nominabam, & Sepasium, qui huc usque Cepasius fuit. Sumptus est minor Cepasius, seu, ut acta jubent, Sepasius ex Orat. pro Cluent c. 21. *Incepit longo & alte petito proemio respondere major Cepasius.* Noverat noster vix esse majorem sine minore. Nec credo ignarus fuit horum ex Bruto c. 69. *Eodem tempore C. & L. Cepasii fratres fuerunt, qui multa opera, ignoti homines & repentini, quaestores celeriter facti sunt oppidano quodam & incondito genere dicendi.* Quis porro Copponius sive Coponius ille, veneficio famosus? Noti sunt *adolescentes humanissimi & doctissimi, rectissimis studiis atque optimis artibus praediti, Titus Cajusque Coponii* ex Orat. pro M. Caelio c. 10., ex quorum ego numero hunc fuisse non arbitrer. Cur acta hominis praenomen nobis inviderunt? an indignum censuerunt, qui ab ejusdem gentis aliis internosceretur? Ecce aliud.

AD. IIII. KAL. SEPT.
FVNVS. METELLAE. PIAE. VESTAE. VIRGINIS. ILLATAE. SEPVLCHRO. SVORVM. MAIORVM. VIA. AVRELIA.

Non iverim infitias Metelli Pii filiam Vestae sacerdotio, quanquam exploratum mihi non est, functam fuisse. Id mirari posses, ME-

TEL-

TELLAM PIAM nuncupari, cum ex hac gente Caeciliae Metellae passim appellentur. Soror hujus Virginis, si recte sentit vir accuratissimus P. Baelius in Critica sua, Plutarcho in Sulla *Caecilia*, & in libro de Garrulitate *Metella* tantum dicitur. Sed vereor. ut vere opinatus sit vir Doctissimus. Sullam ait Plutarchus primo suo consulatu duxisse, Καικιλίαν Μετέλλου θυγατέρα τοῦ ἀρχιερέως, Caeciliam Metelli Pontificis filiam. Pontificem & Maximum quidem, Pium Metellum fuisse ex Dione certissimum est. At multa concurrunt, quae Caeciliam alio patre fuisse procreatam persuadent. Q. Metellus, qui postea Pius dictus est, anno V. C. DCXLV. nondum viginti natus annos in patris contubernio militabat, Sallustio teste Bel. Jugurth. c. 64. Caecilia haec Sullae nupsit anno DCLXV. cum jam duorum liberorum ex Aemilio Scauro mater esset. Filia Caeciliae Aemilia Acilio Glabrioni anno DCLXXI. collocata fuit, & sequenti anno Pompejo M., docente in Sullae vita Plutarcho. Haec, quidquid comminiscaris, absurda erunt, si Caecilia Sullae fuerit Metelli Pii filia: in primis cum M. Scaurus, Caeciliae filius, bello Sullano jam adultam habuerit aetatem. Asconium audire in Argum. Orat. pro Scauro operae erit. *M. Scaurus M. Scauri F. qui princeps senatus fuit, vitricum habuit Sullam:*

quo victore & munifico in socios victoriae, ita abstinens fuit, ut nihil neque donari sibi voluerit, neque ab hasta emerit. Prorsus fuisset ridiculus Asconius, si Scaurus Dictatore Sulla novem decemve annorum puer fuisset, & tamen, si viri Docti sententia obtineat, non excessit eos annos. Sed quid ego multis pugno? Caecilia Sullae nata fuit patre L. Metello Dalmatico, Pontifice Maximo. Cicero in Orat. pro Scauro L. Metellum, qui Castoris & Pollucis templum refecit, Scauri avum maternum appellat: id vero templum a L. Metello Dalmatico instauratum esse, luculentus testis est Asconius *L.* 1. in Verrem c. 59. Quamvis ergo, ut redeamus, unde digressi sumus, mirari quis possit, praeter morem gentis Caeciliae cognomentum PIAE huic Virgini indi, relinquemus illi titulum, quem pater jure merito fuerat indeptus. Prorsus aliud animo sedet de sepulchro Metellorum. ILLATA dicitur SEPVLCHRO SVORVM MAIORVM VIA AVRELIA. Quid si ostendero, monumenta gentis Caeciliae fuisse via Appia? Titus Pomponius Atticus, auctore Nepote c. 22. sepultus est juxta viam Appiam in monumento Q. Caecilii. Superest in hanc diem ad eam viam Caeciliae Crassi sepulchrum, cui inscriptum fuit, ut apud Gruterum p. CCCLXXVII. legis:

CAE-

CAECILIAE. Q. CRETICI.
F.
METELLAE. CRASSI.

Nec alibi Cicero Metellorum ſepulchra vidit *An tu*, inquit L. I. Tuſcul. Diſput. c. 7. *egreſſus porta Capena, cum Calatini, Scipionum Serviliorum, METELLORVM ſepulchra vides, miſeros putas illos?* A porta Capena Appium cenſorem viam Capuam uſque muniviſſe ex Frontino in re adeo manifeſta doceri non debet, nedum viam Aureliam in Hetruriam duxiſſe. Ad alia tranſeundum eſt.

CENSORES. LOCAVERVNT. REFICIENDVM. TECTVM. AII. LOQVENTIS. H. S. XXXV.

Cenſores locaverunt? Cenſus ergo hoc anno actus. Dio anno ſequenti L. XXXVII. p. 56. cenſum tribuit. Nec diſſentit Cicero L. I. ad Attic. Ep. 17. Hos auctores habuerunt Sigonius, Onuphrius, Pighius, cum cenſores anno DCXCII. dederunt. Oblitos fuiſſe ait Vir Doctiſſimus; in quinquennium creari ſolitos cenſores. Non credo. Ipſe hos cenſores lectos eſſe opinatur anno DCLXXXIX. quo Dio L. XXXVII. p. 37. cenſores fuiſſe, ſed propter contentiones tribunitias nihil actitaſſe, refert. Demus anno DCXC. cenſura fungi cœpiſſe. Ergone annis DCXCI. DCXCII. & DCXCIII.

TVANTVR, Mercurium adhibeas necesse est, qui Catilinam pluribus ante vulneribus confossum ex inferis evocet, ut civibus vivus mortuusque incommodet. Restat ultimum fragmentum ceteris brevius.

GN. POMPEIO. MAG. II.
M. LICINIO. CRASSO. II. COSS.
KAL. MAII.
COSS. IN. GALLIAM. PROFECTI. AD.
C. CAESAREM.

Id variis ex caussis mihi suspectum est. Nullus veterum est, qui consulem utrumque ad Caesarem in Galliam profectum fuisse referat. Diligentissime Suetonius, Plutarchus, Dio, aliique notarunt, hieme hujus anni Caesarem in urbem provinciae suae Lucam Crassum Pompejumque extractos compulisse, ut detrudendi Domitii caussa consulatum alterum peterent, & ut in quinquennium sibi imperium prorogaretur. Prorsus nihil de altero itinere. Obstant illi quoque multa: Videtur Pompejus a. d. III. Kal. Maji aut pridie Kal. nondum Romae fuisse, sed in Albano suo: Patet hoc ex Ciceronis Epist. undecima L. IV. ad Atticum. *Dixit Pompejus, Crassum a se in Albano exspectari ante diem* IV. *Kal. is cum venisset, Romam esse statim venturos, ut rationes cum publicanis putarent: quaesivi gladiatori-*

toribus? respondit, ante quam inducerentur. Gladiatores illi Compitalibus VI. Non. Maji, aut post eam diem videntur propositi, certe non mense Aprili. Cicero prid. Kal. ad Atticum ea scripsit, statimque subjungit. *Id cujusmodi sit, aut nunc, si scias, aut cum is Romam venerit, ad me mittas velim.* Quae manifesto indicio sunt, opinatum fuisse Ciceronem, Pompejum Crassumque non ante mensis hujus initium rationes cum publicanis subducturos. Taceo nunc ex Epist. 9. *L.* II. ad Q. Fratrem comprobari posse, primo mensis Maji principio Pompejum Crassumque non in Gallia, sed Romae fuisse. Videamus utrum Caesar Kal. Maji in cisalpina agitarit Gallia? Hieme anni, quae fuit Cn. Pompejo, M. Crasso Coss. Usipetes & Tenchteri, magna cum multitudine hominum Rhenum transgressi, Galliam turbarunt. His de rebus Caesar certior factus, *maturius, quam consueverat, ad exercitum proficiscitur*, ut scribit *L.* IV. Bel. G. 6. Superioribus annis haec Caesari consuetudo fuit proficiscendi. Primo anno belli Gallici ineunte Aprili in provinciam abiit. *L.* I. c. 6, 7. Secundo, quum primum pabuli copia esse inciperet, ad exercitum venit. *L.* II. c. 2. Tertio, quam primum per anni tempus potuit. *L.* III. 9. Si vero *maturius, quam consueverat*, quarto hoc anno ad

ad exercitum contenderit, quid reliquum est, quam Maji initio non fuisse in citeriore provincia? Ego examine defunctus sum. Tu vide, bonae fidei sint haec acta, mereaturque eorum parens Horatianam notam:

HIC NIGER EST. HVNC TV
ROMANE CAVETO.

FINIS.





I N D E X
CAPITUM.

CAPUT I.

DIsputatur de S. Joannis in evangelio verbis, *ϗ θεὸς ἦν ὁ λόγος*, *ostenditurque non esse probabile, scripta olim fuisse ϗ θεοῦ ἦν ὁ λόγος. Origines, Hippolytus, Basilius Magnus, Eusebius, Photinus, Julianus Imperator novam hanc scripturam ignorarunt, receptam unice firmantes.*

CAPVT II.

Ostenditur non corrupisse Valentinianos juniores verba Joannis, nedum primos & Deus erat verbum legisse; Priores aeque ac posteriores Valentiniani ita in Joanne invenerunt. Explicantur eorum circa hunc locum opiniones. Irenaeus emendatur. Liberantur à crimine vitiati versus 18. Cap. 1. Evangelii Joannis Valentiniani. Quaeritur de caussis variantis in eo versiculo scripturae. Joannem, & Deus erat verbum, non vero, & Dei erat verbum, primitus dedisse evincitur.

CA-

CAPVT III.

De Sicca Veneria Numidiae urbe agitur: Silius Italicus explicatur. De Polybii quodam fragmento adversus Chr. Colerum disputatur: Sallustii recepta scriptura semel iterumque defenditur: Fuit in Africa urbs Thirmida, pariter ut Tisidium. Haeretici Venustiani a Sicca Veneria non videntur dicti: Explicatur Augustinus.

CAPVT IV.

Ostenditur quamobrem Britannia fertilis Provincia tyrannorum fuerit dicta: Certum non est, fueritne Porphyrius, an Hieronymus dicti auctor. Plures sub Honorio in ea insula tyranni exorti sunt: Multi quoque in tempora Porphyrii inciderunt. Bataneotes, quo cognomento Porphyrius ornatur, sitne in Biothanatos convertendum? Milo Elnonensis Porphyrium Tyrium, & Porphyrium Optatianum, Panegyrici ad Constantinum scriptorem, confudit. Βατανεώτης *& Chrysostomo & Anastasio Sinaitae Porphyrius dicitur.*

CAPVT V.

Euripides in Heraclidis emendatur. Hesychio pluribus locis vera scriptura restituitur ex Euripide. Philostrati locus explicatur & defenditur. Plurimum scire refert ad Lexicographum emendandum quae veterum loca respexerit. Heros quare τρικόρυθος?

CAPVT VI.

Inquiritur utrum Irenaeus ex Joanneis verbis, & Deus erat verbum, ostendere conatus fuerit Christum esse ve-

verum Deum: Fecisse exemplis ostenditur, eaque occasione Irenaeus semel iterumque emendatur. Probatur non habuisse eum, & Dei erat verbum, in Evangelio: Quid intellexerit per τὴν ἔμπρακτον efficabilem Verbi generationem. Agitur de duplici Verbi generatione, de qua subinde Patres.

CAPUT VII.

Gerere domum non videri damnandum in Ausonio. Statius defenditur. Ramo vocare, vocare dextra aliaque. Tigris apud poetas saepe pellem tigri detractam notat. Lucani versus defenditur. Exhaustus idem ac ad finem perductus. Discrepant veteres de matre Euristhei: Explicatur Maximus philosophus. Valerio Flacco medicina fit. Impensas recentioris aevi scriptores ea appellant, quorum usus est in fabricis: lux inde Jul. Obsequenti.

CAPUT VIII.

De utilitate supellectilis nummariae. Norbensium in Hispania nummus explicatur. Fuisse Graviam gentem docetur. Ex municipiis & coloniis non satis tuto gentium Romanarum catalogus augetur. Nero & Drusus, Germanici filii, fuerintne Quaestores Provinciales, an Praefecti Quinquennales? Vibius Marsus quamdiu Proconsulatu Africae fuerit functus? Praefecti Quinquennales Neronis & Drusi in nummis & lapidibus. Hinc Uticensium nummi illustrantur.

CAPVT IX.

Diſſident Poetae in Calais Zetaeque alis deſcribendis. Soli alas Euripides dedit. Orphei verſus examinantur & emendantur. Incoluerunt & Aſſyrii ad Pontum. Saepe librariorum negligentia voces diſtrahendae fuerunt conjunctae. Hinc lux Philoſtrato & veteri inſcriptioni.

CAPVT X.

Diſputatur de vera ſententia fragmenti Melitonis Sardiani. Oſtenditur ſaepe Chriſtianos in Apologiis ſuis Chriſtum Deum appellaſſe, quantumvis unum Deum ſeſe profiteri aſſeverarent. Raderi Chronici Paſchalis verſio infida eſt, nec tamen ille fragmentum Melitonis aliter ac alii legit. Melitoni ſua ſcriptura redditur. ἐπὶ & ἔτι *à librariis invicem confunduntur. Philoſtratus emendatur. Athenagoras ſemel & iterum defenditur.*

CAPVT XI.

De tubi optici inventione & uſu: Utrum veteribus Aſtrologis fuerit notus? Gerberti fiſtulam non fuiſſe ejuſmodi tubum. Ditmarus ex Gerberti epiſtola explicatur. De Strabone quaedam. Oſtenditur ex Recognitionibus Clementinis inventum, quod poſt Helmontii & Boylei tempora celebre fuit, ſatis antiquum videri.

CAPVT XII.

CAPVT XIII.

CAPVT XIV.

CA-

CAPVT XV.

Variae inscriptiones explicantur & emendantur. Ostenditur tribuum Romanarum nomina saepe in regiones & homines esse mutata. Viennenses in tribum Voltiniam, Bononienses vero in Lemoniam fuere relati.

CAPVT XVI.

Eusebii Onomasticum multifariam emendatur. Ramam Saulis urbem recte dici contra virum Doctissimum ostenditur. Fragmentum Aquilae & Symmachi integritati restituitur. Vetus Scholion a Montfauconio publicatum explicatur. Notantur Eusebius & Hieronymus. De Clysmate, urbe Agypti, quaedam: Hinc lux Eusebio: subscriptio epistolae Aegyptiorum ad Leonem Augustum corrigitur.

CAPVT XVII.

Non intercidisse Orphei Georgica ostenditur: supersunt in carmine Maximi Philosophi περὶ καταρχῶν Quaeritur rectene Tzetzes Orpheo id opusculum contribuerit? Docetur carminis auctorem non Orpheo tantum, sed Apollonio Rhodio atque Arato recentiorem esse. Varia ejus carminis loca sanitati pristinae redduntur. Phayllus, qui stadio vicit, quo vixerit tempore?

CAPUT XVIII.

Inquiritur utrum Tertullianus in Evangelio Joannis, Et Dei erat verbum, an Et Deus erat verbum invene-

CAPUT XIX.

CAPUT XX.

CAPUT XXI.

CAPUT XXII.

CAPVT XXIII.

Disputatur de Celso, Christianorum adversario, quem Origenes confutavit. Certone constet eum ex Epicuri fuisse schola? Argumenta in utramque partem proponuntur & examinantur. Verumne sit Celsum in Evangelio Joannis legisse Et Dei erat verbum, Καὶ Θεῦ ἦν ὁ λόγος? Emendatio quaedam verborum Celsi examinatur, ostenditurque non aliter eum in Joannis exordio ac nunc legitur invenisse.

CAPVT XXIV.

Martyrologia veterum explicantur. Ex urbibus exscriptorum inscitia martyres facti. Theophylacti epistolae emendantur. Maximi Philosophi versus explicantur & corriguntur. Quid sit Procurator Euodiae apud Tertullianum. Notatur viri Docti explicatio veteris inscriptionis. Ruricius Lemovicenus & Hesychius a librariorum peccatis vindicantur.

CAPVT XXV.

Onomasticon Eusebii plurimis locis emendatur. & explicatur. Symmachi fragmentum pristinae integritati restituitur, sicuti & Aquilae. Hieronymo & Peutingeri Tabulae auxilium fertur. Eusebius in Onomastico corruptas Graecorum interpretum lectiones recepit. Hieronymum literarum affinitate deceptum nova quaedam oppida commentum esse ostenditur. Ejus & Eusebii scriptura defenditur, doceturque veteres Syenem & Soenem dixisse. Veteris cujusdam interpretis frag-

Symmacho. στρατεύεσθαι & στραγγεύεσθαι *à librariis invicem confunduntur. Hesychium e Basilio verbo tenus quaedam exscripsisse ostenditur.*

CAPVT XXXIII.

De Ignatii Epistolis quaedam. Quaeritur adscribendane sint falsariis, quae Ignatius de Jesu τῷ Θεῷ *illis inseruit? Notatur Epiphanius, ostenditurque sine caussa titulum* τῦ Θεῦ, *Christo tributum in illis Epistolis damnari.*

CAPVT XXXIV.

Diffidentium Graecorum de obitu Carini & Numeriani verba examinantur. Nicephorus Patriarcha emendatur. Zonaras & Cedrenus erroris arguuntur. Joannes Malala perverse Numeriano pellem detractam ait. Scriptor Actorum S. Sebastiani notatur. Auctor Historiae Miscellae defenditur. Praelium ad Pollentiam non satis ex vero à poetis laudari. Origo erroris, qui in Historia Miscella de Nicopoli, Epiri urbe, commissus est, ostenditur.

CAPVT XXXV.

Tertullianus illustratur atque emendatur. Palladis Atticae simulacrum antiquissimum rudem stipitem referebat. Smilidis nomen redditur Callimacho & Clementi Alexandrino. Moses quot annis Inacho, Danao, bello Trojano atque Homero ex quorundam opi-

alternis mensibus penes consules erant. Cimbri quando Romanis innotuerint, & à quo scutum Cimbricum sit fixum Romae? Cicero contra Pighium defenditur. Vexillum comitiorum caussa in arce positum est, non delectus. Scripti milites in Capitolio sunt. Curia Pompeji post Mithridaticum exstructa est bellum. Inimicitiae inter Milonem & Clodium quando susceptae? Caesarem non videri ante an. DCXCII. *in Lusitaniam abiisse ex praetura. Nulli fuerunt Censores anno* DCXCI. *aliaque.*



IN-



INDEX

Auctorum locorumque, quae in hoc libro explicantur & illustrantur.

Cos-

No-

FINIS.



COR-